SELECTÆ DISSERTATIONES POLEMICÆ AD TRACTATUM DE DEO.

TOMUS PRIMUS.

ROMÆ cIↃ.IↃcc.LxxI.

Præsidum adprobatione.

DISSERTATIONES

TOM. I.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

D. Jordani Patr. Antioch. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchini Ord. Prædic. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

DISSERTATIO
DE
DEI EXISTENTIA.

DISSERTATIO
DE DEI EXISTENTIA

PARS PRIMA.

§. I.

Ambigere de existentia Dei, nihil aliud est, nisi purum putumque delirium.

Nulla certe historia est, quæ majorem cum ob vanitatem specierum, tum ob rerum varietatem, admirationem excitet, quam Historia *Humani Spiritus*, sive earum sententiarum, quas homines excogitarunt, publicique juris fecerunt, has, illasque res longa meditatione contemplantes. Scientiæ omnes, artesque liberales satis aperte ostendunt horum opinionum diversitatem quovis sæculo suorum cultorum, & ex iis quarumdam adeo singularium, & a fine alienarum, ut nonnisi ingratiis nostris credere possimus, nos ab iis non decipi, qui illas exponunt. Cicero, Lactantius, Laertius, & ante illos Aristoteles, ut de Philosophis loquar, identidem sententias ejusmodi proferunt iis insignibus, ut non multum a Poeticis fabulis differant. Enimvero ita Varo scripsit, *nemo ægrotans quicquam somniat tam*

tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus. (in Fragmen.) Renatis in Europa Litteris, licet ars nulla tantis extollatur laudibus, quantis Sapere, arsque recte, & sapienter cogitandi, qua factum est, ut cuilibet disciplinæ nobilitatis, & splendoris accessio facta sit magna, hoc tamen ingenue fateamur necesse est, humana ingenia, cum numquam innatam infirmitatem excusserint, produxisse his etiam temporibus, & producere die quolibet (in quibusdam præcipue regionibus, ubi de libertate cogitandi gloriantur) in rebus philosophicis, in eruditis, in humanioribus, & in quavis alia litteraria disciplina, systemata adeo præter opinionem absurda, sententias adeo distortas, quæ veterum diliramenta, miseramque, & irrisam sæculorum, quæ barbara nominamus, ignorantiam sæpe exæquent, immo etiam superent. Hinc, licet luce tanta nunc litteraria Resp. illustretur, jure ac merito saniores homines conqueruntur, ut ætate sua Cicero, se gravari, opprimique non solum stolidi vulgi, sed multo magis quorumdam litteratorum insanis, falsisque opinionibus, qui, vel quia judicandi acumine, vel quia scientia carent, eas in libros digerunt, vel in cœtibus exponunt. *Oppressi sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum leviter credentium*. (De Orat.lib.3.)

Tamen ex iis omnibus insanis opinionibus, quæ prodierunt, non solum maxime impia, & scelesta, sed dementissima, & quam a bruto

animanti potius, quam ab homine confictam vere dixeris, illa fine dubio eft, quæ in dubium revocat veritates, quibus Religio innititur, eamque præcipue, quæ eft omnium caput, hoc eft, *exiftentiam Entis infinite perfecti, a mundo diverfi omnino, totiufque mundi Creatoris, & moderatoris fapientiffimi, hominumque æterni remuneratoris*. Affertio veritati adeo fplendidæ adverfa, non aliunde nafci poteft, nifi ab ingenio debili, deliro, furoris impetu acto, ita ut res omnes cernat perturbatas, neque fimpliciffimas notiones, & clariffimas internofcat. Petrus Bælius hujus morbi forte haud prorfus expers, fcripfit non femel, neminem fieri poffe *Atheiftam, nifi ab animo lymphato per vim tractum*. Quod ipfe confirmat exemplo, verbifque quorumdam amicorum fuorum, qui *Spiritus fortes* appellantur, fed funt revera, ipfique confitentur, cum furore non aguntur, *Spiritus dementes*, furentefque. Quod etiam eleganter ætate fua Ariftoteles, vel quifquis alius *Magnorum Moralium* auctor fuerit, dixit: *Si quifpiam fit tam impavidus, ut neque Deos timeat, is non fortis, fed fatuus erit*. Alii namque errores, in quos quotidie mifere mortales labuntur, noftrorum ingeniorum debilitatem arguunt, quæ non femper advertunt relationes fæpe occultiffimas, quas inter fe notiones habent. At impius, qui Deum, & providentiam negat, eft vir, qui fenfum communem ejuravit.

§.II.

§. II.

Argumenta indissolubilia, quibus semper demonstrata est hæc existentia. Deliria duorum recentiorum Scriptorum.

Siquidem in populis, qui litteras excoluerunt, præcipue vero ex quo resplenduit mortalibus Christiana Religio, præter alias non virtute tantum, sed sapientia ornata, industrii homines, qui non defuere, claram Metaphysici ratiocinii facem sequentes, veritates præcipuas Naturalis Religionis, & præsertim existentiam *Entis Primi* demonstrarunt argumentis tam apertis, tamque validis, ut iis sana mens nullo modo repugnare possit, analytica compendiaria methodo ad veritates simplicissimas progressi, id est ad principia prima nota cuilibet. Ejusmodi est illud, quod ex consideratione horum *Entium* contingentium, & mutabilium nos erigit ad cognitionem Entis necessario existentis, immutabilis, æterni, quo sublato, etiam prima nunquam in rerum natura fuissent: tale est illud, quod nobis aperit motorem primum stabilem, sine quo concipi nequeunt motus illi, quos in natura, quæ per se iners est, videmus; hujus generis demum illud, (ut alia nunc prætercam) quod nos manu velut ducit, cogitque, ut fateamur, esse caussam primam rerum omnium creatricem, cum nulla ex iis, neque universæ simul in se

ipsis existentiæ suæ principium habeant. Hæc, & alia talia argumenta variis modis illustrata, & allata methodo pene Geometrica, & evidentia Geometricis demonstrationibus non absimili clarissime nobis Libertinorum fatuitatem, & impudentiam detegunt; qui rutilantis, sed invisi luminis splendore perculsi, renuentesque illud sequi veritatem profitendo, & nequeuntes illud extinguere his argumentis satisfaciendo, illud vituperant, damnantque. Dominus de Sancto Evremontio, cujus memoria & tenore vitæ, & editis scriptis in deliciis Libertinis semper fuerit, in suo opere inscripto *Jugement sur les sciences* Tom. 1. reprehendit tanquam temerarium, & perniciosum opus illius, qui in Scholis agit de existentia supremi Entis, eamque demonstrare nititur. Non valde ab eo differt hujus ætatis scriptoris sermo, (Voltærus ep. 25. *sur les pensées de M. Paschal.*) qui repente de Poeta factus Censor clararum cogitationum Paschalii, elata voce pronuntiat, *omnes libros, qui lucem his recentibus temporibus aspexerunt, ut Christianam Religionem confirment, offensionis potius, quam pietatis caussam esse*. Non aliter sensit ille, qui magna vi hellebori excitatus ab insania, qua dum erat correptus, videbatur sibi felix, beatusque esse, tantum abfuit, ut gratias amicis ageret, ut etiam in eos acerbius inveheretur, quod sibi gratissimum errorem dempsissent.

Si tamen aliquo modo amentiam suam tegere Libertini possunt, quarumdam acutissimarum,

rum, & Metaphysicarum rationum vim derisui habendo, quæ illam coarguunt, contentarum quibusdam in libris, quos homines voluptatibus dediti, cogitandi usu carentes, neque legunt, neque intelligunt; eam tamen occultare nequeunt e conspectu illius lucis, quæ emicans etiam e rebus minimis, & vilissimis hujus orbis excitat in cujusvis animo notionem, & infinitæ sapientiæ, & potestatis Creatoris perfectissimi, qui ex nihilo eum perfecit, & moderatur. Argumento hoc prorsus inconcusso, & quod, si ejus vis penitus intelligatur, omnia supradicta continet, ut uberius dicemus postea, quovis sæculo usi sunt Scriptores Latini, Græcique, Sacri, & Profani, non ut novum quid, & ignotum docerent, sed ut efficerent, ut homines considerarent rem oculis ipsis subjectam, quæ illos, propterea quod omnibus, & quovis tempore patet, ad eam admirationem summam non movet, ad quam eos excitare deberet, nisi solerent, ut ajebat Cicero, commoveri magis novitate, quam rerum magnitudine. Lib. 2. de Nat. Deor. n. 38.

§. III.

Nonnullæ aliæ opiniones Mopertuisii Anonymique Libertini de hac re confutatæ.

NON me fugit, ausos quosdam fuisse etiam de hoc argumento dubitare, non eos tantum, qui existentiæ Dei se palam ho-

ſtes profitentur, ſed nonnullos, qui nimium novitatibus ſtudentes putant, non poſse ſe ſuis opinionibus fidem parere, & famam conciliare, niſi eas in dirutis perpetui, univerſique generis humani conſenſus fundamentis conſtituant, & erigant. Philoſophus Mopertuiſius haud ita pridem e vivis ſublatus credere nos jubet, ordinem, pulchritudinem, perfectionem, quæ in ſingulis vel minimis hujus orbis rebus cernuntur, & quæ tanta admiratione affecerunt non ſolum vulgus, ſed Philoſophos ſapientiſſimos, minus idoneas eſse, quæ nobis Deum indigitent, cum ob permixtionem malorum, quæ viventes experimur, tum quod non ſine aliqua probabilitate *Accidens, aut caſus* adduci poteſt. Ejuſmodi ſunt dubia iſthæc, & verba, quæ, quicumque ſanæ mentis eſt, ferre non poſſit. Id tamen ille præmittit, ut promat ſingularem quandam a ſe excogitatam demonſtrationem deductam a refractionis lege, quam dicit legem *minimi*, ſive *principium minimæ quantitatis actionis*; aſserens, naturam hoc in caſu *minimum motum* adhibere, idque nobis exiſtentiam, & providentiam ſupremi numinis evidenter confirmare. Sed præterquamquod lex hæc a doctiſſimis viris tanquam falſa rejecta fuit, immo Auctor ipſe aliis in locis eam repudiavit; illud certum eſt, etiamſi ea vera foret, & quicquam probaret, id tantum ob illam communem rationem fieri, qua nos aſserimus, ſingulas univerſi partes, ſingulaſque leges, quibus regitur, a ſupremo

Re-

Rectore nobis manifestari. Præterea credidere nonnulli, ex opinione hujus Philosophi, qui in locum usitatiorum existentiæ Dei argumentorum hanc Mechanicam legem substituit, consequi, qui nec Algebram, nec Physico-Mathematicas scientias callet, eum ratione plana, & sensibili Creatorem suum cognoscere non posse. Quæ quidem res non minus fatua, quam singularis est. Sed de hoc Philosopho, ejusque opinionibus loquemur postea. Aliam sententiam de hac ipsa re legimus in quodam nullius prætii, impio tamen libello Hagæ Comitum typis impresso præferente titulum *Pensées Philosophiques*, quam in Auctoris opprobrium ipsiusmet verbis afferimus: *Non a Metaphysicis ingentes impetus illi facti sunt, qui Atheismum everterunt. Non alibi, quam in operibus Nevvtonii, Muschembroechii, Nieuwentitii reperta sunt argumenta illa evidentia Entis supremi intelligentis. Horum Magnorum hominum laboribus effectum est, ut Mundus non sit amplius Deus: est Machina, quæ habet polos suos, suam vim, sua pondera.* Vah stupiditatem! Vah petulantiam! Priusquam ergo in lucem prodiret Nevvtonius, aut Nieuventitius, non enarrabant Cæli gloriam Dei, & opera manuum ejus Firmamentum non enuntiabat? Priusquam ergo horum doctorum libri ederentur, carebant homines evidenti argumento existentiæ summi Dei? Ergo per decem, & octo sæcula ignorarunt homines, Mundum non esse Deum, sed *Machinam* ponderibus,

menſuriſque libratam, ita ut ad docendum humanum genus veritatem hanc, quam Phyſicæ, & Metaphyſicæ ſcientiæ nondum docere potuerant, neceſſum eſſet, ut in Anglia, & in Fœderato Belgio tres illi Philoſophi exorirentur? Equidem mihi perſuadeo, fore ut docti illi viri, ſi viverent, laudem hanc profectam ex nimia mentis cæcitate, ne quid acerbius dicam, læto animo non ferrent: quam quidem cæcitatem idem auctor ſatis clare manifeſtat, cum ait, non Metaphyſicam, ſed ſolummodo Phyſicam experimentalem argumentum ſuppeditare, quibus Atheiſmus evertatur. Si enim ipſorum argumentorum, quæ ſcientiæ iſtæ nobis ſubminiſtrant, vim penitus ſentiret, intelligeret profecto, ea huic, Metaphyſicæ principio, veluti ſtabili fundamento incumbere, & ad illud neceſſaria analyſi reduci, quod oſtendemus modo. Dicamus ergo, cum Dei exiſtentia ſit omnium veritatum maxima, & neceſſario ab homine ſciri debeat, non poſſe niſi falſo, inſaneque aſſeri, ejus cognitionem pendere ab Algebræ calculis, a ſubtilibus, & iteratis obſervationibus, & experimentis; aut præmittendum eſſe cumulum ingentem theorematum, & prænotandorum, ut cognoſcatur. Se ſe aperit cuique, modo eam advertere velit, clariſſime. Eſt illa lux communis & publica, quam mediocris, breviſque viſus clare intuetur. Uno verbo, ſicut loco ſuo probabimus, gentes omnes ubique terrarum, tempore quovis crediderunt Divinitatis rerum omnium ſu-

pre-

premæ moderatricis existentiam; & quamquam fons hujus universi consensus fuerit *traditio* a primo humani generis parente profecta, tamen firma, constansque perstitit hæc fides rei supra sensus longe positæ, & cupiditatibus adversæ; quoniam etiam argumentum, quod hanc existentiam probat, semper publicum fuit, sensibile, splendidissimum, aptissimumque, quod convinceret pervicaces homines, eamque hebetiores doceret.

§. IV.

Proponitur argumentum ex universi consideratione.

QUodnam ergo, reponetur, argumentum illud est? Illud idem, quod supra innuimus. Cæli, inquam ego, tellus, resque omnes, quæ cælis, terraque continentur, quarum vel per transennam contemplatio sufficit demonstrandæ sapientiæ, & omnipotentiæ Supremi Creatoris. Enimvero rectissime Aristoteles dixit, quod Cicero postea uberius exposuit Lib. II. de nat. Deor. n. 37. *Si essent* (inquit Aristoteles) *qui sub terra semper habitavissent, bonis, & illustribus domiciliis, quæ essent ornata singnis, atque picturis, instructaque rebus his omnibus, quibus abundant, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram: accepissent autem fama, & auditione, esse quoddam Numen, & vim Deorum;*
Dein-

Deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca, quæ incolimus, atque exire potuissent; cum repente terram, maria, & Cælum vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent, aspexissent solem, ejusque tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficaciam cognovissent, quod is diem efficeret, toto Cælo luce diffusa: Cum autem terras nox opacasset, tum cælum totum cernerent astris distinctum, & ornatum, Lunæque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque ortus, & occasus, atque in omni æternitate ratos immutabilesque cursus, hæc cum viderent, profecto & esse Deos, & hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur. Hujusmodi est doctrina sacrorum Scriptorum: Filii Sirach (Sap. c. 23.) cum dicit *a magnitudine pulchritudinis, & operis posse Divinum opificem conjici*; & D. Pauli ad Romanos (cap. 1.) *invisibilia Dei, & æternam ejus potentiam, & Deitatem per visibilia ab eo creata clare cerni*. Negari tamen non potest, quo magis scientiarum ope quis in hanc contemplationem irrepit, eo plura, & clariora divinæ existentiæ argumenta reperiri, quæ omnia, ceu lineæ cum centro, ita cum primo ratiocinandi principio conjunguntur, ut efficiant demonstrationem certissimam, & invictam existentiæ Dei a Mundo prorsus diversi, rerum omnium Creatoris, & possessione omnium bonorum beatissimi.

§.V.

§. V.

Prima demonstratio desumpta ex motu. Tolandus refutatur. Casus Epicuri dari non potest..

HIS ergo vestigiis insistentes pergamus porro; vocemusque ad examen rem, quæ in nobismetipsis est, simulque cum toto terrarum orbe permiscetur, & confunditur; motum intelligo. Ministrum universum naturæ Veteres eum dixerunt, illique e Libertinis multi hujus corporeæ molis originem adscribunt. Et revera motum hunc vel tantillum cessantem non possumus concipere, quin præ horrore timidus refugiat sanguis. Tenebræ, chaos, stupor, mors sequeretur motus cessationem, jam non fulgerent in cælo sidera, non lux; nullæ essent tempestatum vices, aut dierum, non pluviæ, non nubes, non rores, non venti. Retenta flumina, emarcescentes arbores, immobilia animalia, & nostrum quisque repente e vivo, & se movente rigidus, stupidusque effectus.

Jam dicant increduli, ecqua hujusce motus mundo adeo necessarii, cujus ope putant potuisse sine Numine componi fortuitam hanc rerum dispositionem, dicant, inquam, ecqua erit hujus motus causa prima? Hæret illis aqua ad hæc, ita ut nesciant, quo se modo expediant. An dicent, motum hunc esse essentia-

lem

lem materiei proprietatem ? ita opinatur post Epicureos novissime Tolandus (Let. III. *a Serena* .) at quam inepte , quam falso . Quod quidem ita probamus .

Proprietas *essentialis* rei est illa, sine qua res stare non potest , vel sine qua saltem non potest concipi . Jam concipere possumus corpus vel motum , vel quiescens ; præterea ipsa experientia in neutram partem propendens nobis bis ostendit corpus motum , & quietum , immo resistens cuivis extrinseco impulsui vi tanta *inertiæ* , ut loquuntur recentiores Philosophi , quanta est materies , qua constat . Non est igitur motus essentialis corporis proprietas . Isthæc ergo causa motus debet esse substantia incorporea . Neque vero dicatur esse de essentia corporis si non motus *actualis* , saltem propensio , vel tendentia ad motum , quam *nisum* Tolandus ipse hujus pulcherrimi inventi patronus appellat . Quoniam primum ab argumento supra allato jam id confutatum fuit : concipi enim perfectissime corpus potest non solum sine motu *actuali* , sed etiam sine hoc *nisu* , vel tendentia ad motum potius quam ad quietem ; immo indifferens omnino ad utrumque statum . Deinde vero quæritur , num sit *nisus* hic ad motum in certum latus particulare , an ad quodlibet simul ? Nil est medii . Si respondetur , in corpore esse *nisum* ad motum latus particulare certum versus , potius quam aliud versus , res omnino falsa est ; cum corpus æque se habeat ad quodlibet motus genus , & cum nihil sit in ipso ,

ipſo, aut in ſingulis ejus partibus, quod in ipſum cogere poſsit, ut ad hanc potius partem nitatur, quam ad illam ex neceſsitate, & ex eſsentia. Hoc ergo illi ex aliquo extrinſeco principio advenire deberet; quod & hypotheſim evertit Libertinorum, & theſim meam confirmat. Si vero dicatur *niſus* eſse in corpore ad motum quoquoverſum, dicitur quod eſt contradictorium, & quod hypotheſim deſtruit. Tendentia enim ad motum quoquoverſum non poſset in corpore gignere niſi perpetuam quietem omnium partium. Ergo cum non ſit de eſſentia corporis motus, aut *niſus* potius ad hanc, quam ad illam partem, ſed debeat neceſsario ab extrinſeco principio incorporeo, materiæ domino, ejuſque motuum, & connexionum auctore, & moderatore imprimi; exiſtentia hujus principii evidenter demonſtratur, evertiturque funditus Epicuri hypotheſis in lucem producta his etiam diebus a Mopertuiſio Philoſopho ancipitis fidei his verbis; *quamquam non ſit valde probabile, ſortem, ſeu caſum impreſſiſſe motum corporibus eo modo, quo moventur; reſtat tamen aliqua probabilitas, quæ ſufficit, ut credatur, hunc ordinem, & diſpoſitionem rerum eſſe effectum neceſſarium electionis*. At inquio ego, nullam ſupereſſe probabilitatem, ut producatur *caſus*, qui *nihil eſt*, voxque eſt ſenſus expers. Sicut motus materiæ eſt neceſſario effectus cauſæ incorporeæ, ita motus definitus, ex quo ordo hic proficiſcitur, & rerum inter ſe diſpoſitio eſt neceſſario *effe-*

ctus

ctus electionis ejusdem incorporeæ causæ; qua causa sublata, quemadmodum non est amplius *electio*, ita non est amplius determinatus motus, a quo hic rerum status pendet, immo nec est amplius motus. Qui concipit ergo intellectu, hanc rerum dispositionem ex innumeris dispositionibus, quæ poterant esse, fortuitam esse, rem stultam, & repugnantem, & indignam, quæ cadat in hominem sanæ mentis, & rationalem cogitat. Est ergo vera demonstratio existentiæ Dei, hoc est causæ incorporeæ, omnipotentis, liberæ, sapientis, illa quæ petitur a motu, quo mundus hic creatus fuit, & subsistit. Est, inquam, verissima demonstratio innixa notioni corporum æque se habentium ad motum, & ad quietem, & huic certissimo principio; in rebus naturalibus libero arbitrio carentibus, ubi ingens est electionum varietas, aut partium eligendarum, nullaque vehemens causa amplectendi potius hanc, quam partem illam, electionem nullius generis fieri posse. Quod strictius significarunt veteres illo axiomate, *nihil sequitur ex eo, quod est ad utramque partem indifferens*. Cum ergo in uno ente omnium corporum supremo, omnipotente, sapiente, libero, totius naturæ domino, ut Deus est, causa hujus motus reperiri possit, hinc ejus existentia demonstratur, & quæque probabilitas *sortis*, aut *casus* excluditur.

§.VI.

§. VI.

Motus corporum cælestium in quocumque systemate nos cogit fateri, esse Deum.

QUid si simplex, solusque motus, qui per hanc molem diffusus est, necessario nos cogit, ut fateamur, eum effici a potestate, & electione incorporeæ causæ, & proinde invicte Deum nobis demonstrat? Profecto hoc argumentum splendidius multo, solidiusque erit, si considerare velimus, corpora non solum moveri gradibus velocitatis differentis, moveri directionibus maxime diversis, moveri singula ordine miro secundum certas leges, quibus fit, ut ii semper obtineantur fines, qui Mundi pulchritudinem, perfectionem, & conservationem efficiunt. Satis est vel obiter animadvertere id quod natura nobis semper ob oculos ponit, ut videamus & hoc, & evidentiam argumenti, quod hinc deducitur pro causa, quam præ manibus habemus. Quare lubet detinere lectorem paululum in Cœlorum contemplatione, qui, ut ait Propheta, enarrant gloriam Dei, & ejus potestatem annuntiant; & ostendere, quam male quis credat se infirmare evidentissimam rationem, quam nobis de æterno opifice suppeditant admirabiles illorum motus, ajens, nos casum repudiantes, idcirco illos Deo adscribere, quia veram physicam causam docere non possumus, quæ eos producat.

Pa-

Parent paulisper sese Athei ratione non quidem evidenti, sed utcumque probabili, ad explicandum, undenam cælestium corporum motus petendi sint. Haud illis proponam undecim solidas & gravissimas Ptolemæi sphæras, in quarum una aureorum clavorum instar stellæ sunt defixæ, & ab aliis veluti ingentes lampades pendent Planetæ rotantes se circum terram, immobile centrum suorum motuum. Non quæram ab illis, quæ naturalis vis primo mobili motum tantum indat, quo & ipsum quotidie peragit immensum orbem suum, eodemque tempore inclusas sphæras ob ortu occasum versus secum trahat. Non poscam, undenam sit impetus ille singularis, quo sphæra quælibet motu proprio contrario pergit ab occasu in ortum, quin retardetur quicquam a concitatissimo motu a primo mobili communicato. Non requiram, ut explicent mihi diversitatem periodorum, omniaque alia phænomena horum motuum. Nullam certe in tota, quanta quanta est, corporea natura verisimilem causam reperire poterunt, quæ illos pariat. Quare ejus systematis propugnatores quibusdam *Intelligentiis* hoc munus demandatum crediderunt, hoc est substantiis incorporeis, quæ Omnipotentis Creatoris voluntatem exequerentur. At probe novi, Auctores illos hoc systema, & has *Potentias* motrices risui habere, & joco. Quamcumque ergo malint hypothesim, eligant, non repugno, & etiamsi non sint cogendi ad fatendum id, quod est verissimum, mechanicam non

non posse assignari motuum cælestium causam; tamen vel hæc assignata nihil illis suffragabitur, si a Deo disjungatur. Et sane dicentne, natare planetas in ingenti fluido vortice, cujus particulæ a sole, qui medius stat, agitatæ, impellunt ea corpora ad revolutiones una secum motibus ellipticis circum solem? At ingeniosa ceteroquin hæc sententia, qui est, qui nesciat, quam valide a præstantibus Philosophis, & a Nevvtono præcipue fuerit impugnata? Directiones horum planetarum, tempora periodica eorum revolutionum creduntur convenire non posse cum legibus motus materiæ vorticalis. Transitus autem cometarum per planetarum regionem a Ticone supra lunam visus si perfregit solidas Ptolemæi sphæras, dissipavit profecto etiam Cartesianos vortices, cum eorum orbitæ *excentricæ*, & in cœli partibus tam remotis extensæ, & velocitas eorum motuum cum determinatione, & velocitate motuum materiæ ethereæ vorticis planetarum nullo modo possint congruere. Philosophi multi insignes conati sunt resarcire male consutum opus, aut alios vortices fingendo, aut materiæ subtili addendo directiones, aut aliis absurdis modis, prout eorum phantasia magis, minusque fœcunda idearum fuit, quarum multiplicatione efficeretur, ut tandem aliquando isthæc corpora ferrentur in gyrum. Verum præterquamquod omnes hæ hypotheses continent majores difficultates, quam phænomenum ipsum, in cujus explicationis gratiam sunt excogita-

gitatæ, nos æquo animo eas nunc admittemus, ſupponemuſque, planetas in gyrum rapi a materia vorticum, hoſque vortices in cauſa eſſe, quod incredibile eſt, cur ellypſim deſcribant, potius quam circulum: tamen quæremus a Libertinis, motus, quem materia vorticum habet, quænam ſit cauſa? Fortaſſe dicent, globum, qui centrum vorticis occupat, vi ſua *centrifuga* impellere circumjacentem ætherem, & hac ratione efficere, ut ille perpetuo in orbem volvatur. At nos iterum rurſus urgebimus, quænam ſit cauſa illa, quæ det, ſervetque vim hanc in globo? Neceſſe enim eſt, ut aliquod agens principium eam illi imprimat, cum ex natura ſua ſit ipſe iners. Neque hoc ſatis eſt; opus eſt, ut hoc agens principium vim hanc ſemel impreſſam continuo innovet; quoniam quantitatem tantam motus ille amittit ſemper quantam cum circumjacente vortice communicat: ergo niſi perpetuo ſuppetias, ut ita loquar, ferat agens principium, paulatim decreſcet globi vis, motuſque vorticis, & Planetarum curſus deficiet. Atque doctrina hæc jam eſt demonſtrata a Nevvtono præſertim. Jam vero principium hoc activum, quod imprimit, continuatque motum hunc, quodnam unquam aliud poteſt eſſe, niſi Deus? Quid ad hoc argumentum reſpondere poſſit impius, qui hac in materia ſe Carteſianum profitetur, non video. Videamus nunc, num ei Nevvtoniano facto res magis proſpere ſuccedat. Philoſophus ille cœlos nullos, aut ſolidos, aut fluidos ſtatuit, ſed ſpa-

ſpatia libera, & vacua. Eſt Sol in centro, & circa eum volvuntur planetæ majores, & circa nonnullos ex his circumaguntur Satellites deſcribentes utrique motu ſuo Ellipſim. Inter diſtantias horum Planetarum, & tempora periodica eorum revolutionum advertitur mira harmonia, ſeu proportio, quæ a Keplero, qui eam detexerat, tum a Nevvtonio, aliiſque Philoſophis, qui eam amplexati ſunt, ſolet exprimi hac lege: *quadrata temporum periodicorum Planetarum eſſe ſemper, ut cubos ſuarum diſtantiarum a communi centro*. Ceterum velocitas, qua Planetæ moventnr, eſt maxima. Venerem exempli cauſa, quæ terra minor eſt, cum orbem ſuum percurrat ſpatio ſeptem circiter menſium, conſtat ex calculis, moveri velocitate centum, & quadraginta, & ſex vicibus majore illa, qua globus actus a magno tormento bellico fertur. Ex Hugenio, Gregorio, Wiſtono, qui *orbitas metiuntur*, & tempora revolutionum aliorum planetarum exponunt, colligi poſſunt omnium velocitates; ex quibus multiplicatis per ſingulares eorum maſſas in *producto*, quantitas eorum motuum maximorum, & admirabilium nobis innoteſcit. Hic interim, quin ad alia phænomena corporum cœleſtium progrediar, conſiſto, & quæro ab æterni Numinis hoſtibus, quænam, Nevvtoniano ſyſtemate poſito, quod ego ceteroquin nec admitto, nec reſpuo, eſſe poſſit cauſa motus, & cauſa talis, ac tanti motus in iis globis? Ipſi certe non moventur impetu,

au-

aut impulsu, aliorum corporum; spatium enim illud, in quo planetæ feruntur, aut omnino, aut pene inane totum est; neque corpus unum in alterum agere nisi per contactum potest. Causa ergo prima, & proxima, seu immediata eorum motus alia esse non potest, nisi Deus. Transeamus nunc ad motus qualitatem. Non est ille simplex, sed compositus: constat enim, duas vires *directrices* agere in eos, *projectionis* unam, per quam moventur per lineam horizontalem, seu per *tangentem* suarum orbitarum, *gravitationis* alteram, per quam feruntur suorum motuum centrum versus. Si non essent ambæ hæ *difformes directrices potentiæ*, nunquam Ellipses illas, quas semper describunt, possent describere. Si enim a sola potentia *gravitationis* illis moverentur, continuo planetæ perpendiculariter motu *accelerato* in solem, qui creditur centrum, deciderent; & simul globum unum efficerent. Si vero a sola projectionis vi impellerentur, statim excurrerent per *tangentem* describentes *rectam*, & longissime a centro se removerent. Quia ergo his duabus potentiis, quibus per directiones adeo diversas, & impetus *difformes* moventur, parent planetæ, Ellipses Apollonianas exacte describunt; quibus, quin unquam quiescant, quin vel tantillum exeant a via sua corpora magnitudine terraqueo globo multo majori, velocitate multo concitatiori acto bellico globo, constanter per tot sæcula insistunt, & hujus molis pulchritudinem, & commoda, & admirationem constituunt.

ſtituunt. Excutite voſmet ergo parumper, Athei infeliciſſimi, reponite aliquod, quod ſanæ aures non reſpuant, de cauſa hujuſce phænomeni. Si vel ſimplex motus non eſt *eſſentialis* materiæ proprietas, quis erit motus iſte compoſitus, qui in planetis apparet? Nonne verum illud eſt, hac in *hypotheſi*, movenda omnia corpora perpetuo fore & movenda elliptice? Immo particulæ minimæ componentes cum habeant corporis eſſentiam, deberent hunc motum ut proprietatem eſſentialem habere, ac proinde agitari perpetuo. Verum ſi id ita eſſet, quomodo haberetur corporis firmitas, quomodo tot motus ſimplices, nec turbati, quos in natura videmus? Reſpondebunt illi, clavem hujus illuſtris ſyſtematis, ſummumque principium, quo inter ſuas orbitas planetæ retinentur, eſſe celebrem *Nevvtonianam attractionem*, quæ etiam *gravitas*, *& vis centralis* nominatur. Clavis tamen hæc admirabilis, felixque, ſicut a quibuſdam appellata fuit, mundani ſyſtematis nedum nobis ad cognoſcendum Deum aditum recludat ipſa, quin per alia media repamus, eum nobis detegit, & clariſſime oſtendit. Nos ſiquidem, nulla interpoſita mora, ad rem accedimus, petimuſque, quænam unquam in Nevvtoniano ſyſtemate eſt cauſa, & origo hujus planetarum attractionis? Illa, ut dicemus, non oritur ab ullo mechanico principio cum omnes in hoc ſyſtemate amandentur vortices, & moveantur planetæ per libera, & inania ſpatia. Qui ergo ſol ſine ullo

 vel

vel *remoto*, vel *proximo* contactu potest ad se attrahere tanto impetu, vi tanta Saturni corpus adeo distans? Immo quomodo minutissima particula in centro solis inclusa (quoniam tota attractio massæ ex complexu attractionum cujuslibet individuæ particulæ conficitur) potest agere in aliam particulam latentem in singulis planetis positis in locis cum ob distantiam, tum ob situm tam diversis? Cum igitur nulla Mechanica causa in Nevvtoni systemate appareat, quin immo etiam cum excludatur, quid dicendum superest, nisi hanc attractionem, quæ leges omnes Mechanicæ supergreditur, esse a principio natura tota superiore, sapientissimo, & omnipotenti, quod Deus est. Sed paulisper in suspenso relinquamus illationem hanc: concedamus., libertinos invenire in Mundo Nevvtoniano physicam attractionis causam; quid inde inferent? Nihil aliud requiri, ut, nulla divina potentia admissa, mundi systema componatur? Scilicet: potest quidem (inquit Anglus Philosophus) hæc gravitatis lex retinere in orbitis suis cælestia corpora, at non potuit illa in iis collocare orbitis, hoc est, ea disponere admirando illo systemate in quo ea videmus. Ob hanc unam gravitatis, vel attractionis vim omnes planetæ corruissent, ut diximus, in centrum suum, quod est sol. Ergo ut essent in locis talibus, tam diversis, tamque dissitis, & ibi motu admirando, temporibus mirum in modum correspondentibus his *respectivis suis* distantiis ellipses suas circum solem describerent,

rent, quodnam principium, quam vim in natura reperire Libertini possunt?

§. VII.

Creatio rerum superior Mechanicæ legibus: aliud argumentum Divinitatis.

EN nobis munitam viam ad aliud invictissimum argumentum, quo eorum pervicaciam contundamus. Illi, ut diximus, nil aliud crepant, quam materiam, & motum, sive mechanicæ leges, quibus duobus elementis, quovis alio artifice excluso, tota universi causa adscribatur. Nos ostendimus, motum (nam de materia agetur postea) legesque Mechanicæ non esse proprietates essentiales materiæ, sed opus esse, ut proficiscantur a causa incorporea, materiæ, & uniuscujusque rei domina. Tamen fingamus, rem aliter se habere, & esse proprietatem materiæ moveri, & moveri iis Mechanicæ legibus, quas cernimus. Explicent ergo nobis his legibus creationem, dispositionemque mundi hujus; explicent, vi cujus mechanicæ legis rarum illud, & subtilissimum fluidum, quod lux appellatur, debebat secerni ab aliis corporibus crassioribus, & densioribus, & in sole stellisque fixis conglobari? Vi cujus mechanicæ legis & stellæ, & planetæ habere debebant eam configurationem, situm, distantiam, in qua sunt? Dicant, quæ Mechanicæ lex dederit satellites quinque Saturno,

turno, & Jovi quatuor, & solum primum Saturni annulo cinxerit? Quæ Mechanicæ lex statuit, ut orbitæ præcipuorum Planetarum essent *concentricæ* in motus directione, & proxime in eodem plano: cometæ autem moverentur per orbitas valde *excentricas*, & per omnes directiones? quomodo ex hujusmodi causa eadem hi, & tam diversi effectus enasci poterant? Sed ut ad inferiora hæc descendamus, explicare aggrediantur vi harum motus legum creationem tam variam, & pulchram florum, constructionem, & junctionem membrorum corporis unius insecti, & ultro manus dabimus. Sed illis aqua hæret, neque mutire audent, & si quando quis eorum quidquam dixit, ad hanc rem, dormiens loquutus videtur, & ineptias indignas, quæ referantur, protulit; cur non fatebimur leges *primitivas*, quibus hæc moles cum cœlestis, tum terrestris fuit effecta, & disposita, differre ab illis, quibus nunc regitur, ac proinde eas nobis Artificem sapientissimum, omnipotentem, & liberrimum ostendere? Et revera, si oblata nobis esset *machina* variis rotis, & instrumentis constans, quæ nobis indigitaret dies, horas, aut Planetarum cursus, conciperemus quidem, leges mechanicæ, & motus efficere posse, postquam, & composita, & disposita fuit, ut illa se moveret & motibus iis diversis, & iisdem semper indiciis: solus amens credere posset, partes Machinæ, figuras, magnitudines, conformationem non fuisse factas opera liberi, & sapien-

tis

tis opificis ſuperiori, diverſa, & interdum contraria legibus naturæ, & motus. Idem tanto æquius, quanto horologio eſt nobilior mundus, hoc eſt, eſſe amentes, dici poteſt de iis hominibus, qui in rerum natura nihil aliud eſſe volunt, niſi materiam, & motum. Inſerviunt leges Mechanices explicandis phænomenis naturæ formatæ; at inſervire nequeunt explicandæ formationi, quæ longe, multumque ſuperans omnes vires, & leges Mechanicæ neceſsaria rerum conſequutione nos deducit ad cognoſcendum, & adorandum Artificem potentiſſimum, ſapientiſſimum, qui opere majori quavis vi, & lege nobis nota in tota natura, creavit molem hanc, eamque motibus iis, quos in illa videmus, libere conſtruxit.

§. VIII.

Falſa Helvetii opinio de rerum creatione evidenter confutatur.

EX his rebus omnibus clare patebit cuique, quam non irreligioſa ſolum, ſed etiam abſona, & falſa ſit ſententia cujuſdam litterati viri, qui his temporibus, tantaque in ſcientiarum,& diſciplinarum luce dicere non erubuit *Deum in univerſo Phyſico non poſuiſſe niſi principium unum. Materiæ is dixit, ego tibi vim indo: nec mora, elementa legibus motus ſubjecta, ſed errantia, & confuſa in ſpatii campis innumeras deformes conſtituerunt junctiones, innume-*

numera differentia chaos , donec ad æquilibrium sunt redacta , & ad eum ordinem physicum , quem creditur nunc habere Mundus (M. Helvetius *De l' Esprit.* disc. III. Chap.IX.) . Non opus est sapienti Lectori , ut ego illi indigitem in hac speciosa pictura adumbratum impium, & stultum Atomistarum , & Epicureorum systema , qui ex fortuito atomorum concursu per immensa spatia , & per infinita sæcula rationibus infinitis motarum prodiisse hoc universum blaterabant ; Systema , quod jure ac merito derisui habitum fuit a doctis cunctis , & quod tamen insinuatur graviter , & sapienter in libro omnigenæ doctrinæ , composito , ut præfatur Auctor , ad omnium orbis gentium disciplinam . Auctor , ut innuimus , est Helvetius in libro inscripto *l' Esprit* , qui admiratione affecit Libertinos , & dolore sapientes omnes , qui meritus est proinde , ut damnaretur ab utraque potestate , Pontificia , & Regia . Sed congrediamur quæso cominus cum hoc Philosopho .

Cum dicis , elementa vi prædita sese legibus motus subjecisse , & hinc demum prodiisse mundum , vel loqueris de iis legibus , quas nunc in corporibus & in motibus eorum statutas constantissime miramur ; aut intelligis diversas , & alias . Si de primis loqueris , jam paulo ante audivimus Nevvtonum ipsum pronuntiantem , quod & sapientes omnes cum illo pronuntiant , & experientia ipsa demonstrat (nosque etiam in capite proxime sequenti dicemus

mus uberius) has leges posse quidem prodesse, ut explicemus, computemusque phænomena, sive apparentias corporei mundi jam constructi, dispositi, & moti; sed illas nullo modo sufficere rationis reddendæ constructionis, figuræ, molis, numeri, dispositionis, & motus corporum universi, præcipue cœlestium, & *organicorum*. Si ergo vis nobis obtrudere, mundum compositum fuisse tuis elementis per has leges motus; rem falsam narras, & quæ nullo modo fieri potest. Inquies ergo, leges a te memoratas fuisse diversas ab iis, quas videmus, hoc est, illas, quæ *primitivæ*, aut creationis nominantur? Egregie. At hic insto, aut his *primitivis* legibus sese subjecerunt per se ipsa elementa, vel subjecta fuere a Deo, a quo scribis prædita fuisse vi; si primum dicis, rem incredibilem dicis: nam qui credi potest, elementa cæca & sensu carentia ex se semetipsa subjicere legibus harmoniæ, proportionis, pulchritudinis, sapientiæ infinitæ, & juxta has leges ferri, collocari, disponi per se ipsa ad universi admirandam constitutionem? Pura putaque fabula hæc est, & somniantis deliramentum. Immo repono ego, esse rem hanc geometrice ejusmodi, ut fieri nequeat; nam elementa non solum huic legum motus systemati (quod est omnium perfectissimum) sese subjecissent unquam; sed ajo, omnino nulli sese subjectura fuisse, quoniam, ut supra ostendimus, in rebus naturalibus, quæ liberi arbitrii usu carent, ubi est varietas ingens partium seligendarum

 (ut

(ut in propoſita re fuiſſet) neque ratio eſt, quæ perſuadeat amplectendam potius partem hanc, quam illam, non poteſt eſſe electio, immo ne determinatio quidem ullius generis. Elementa ergo *vi prædita primitivis* motus legibus per ſe non ſe ſubjecerunt. Relinquetur, ut dicatur, ea fuiſſe illis a Deo ſubjecta. Et ita revera eſt. Sed quomodo, quæſo, addis verba illa profana, *elementa iſta legibus motus ſubjecta, ſed errantia, & confuſa in ſpatii campis innumeras deformes conſtituerunt junctiones, innumera differentia Chaos, donec ad æquilibrium ſunt redacta, & ad eum ordinem phyſicum, in quo ſunt*? Quid? annon vides, te id dicere, quod non ſolum opponitur Revelationi, a qua diſcimus, vi unius *Fiat* creatum fuiſſe univerſum (quod te tamen fortaſſe non valde ſollicitum habet) : ſed dicere id, a quo deſtruitur, quod ſupponis? namque repugnat, elementa *primitivis* motus legibus ſubjecta errabunda ferri, & confuſa per immenſa ſpatia, & tamen conſtituere ſimul innumera Chaos, innumeros deformes complexus; dicere id, quod maxime dedeceret notionem ſapientiſſimi, & potentiſſimi moderatoris? Quantum enim dedecus in eum non redundaviſſet, ſi elementa a ſe vi munita, coercita legibus *primitivis* motus, quo hoc univerſum efficeretur, imperio non paruiſſent niſi invita, ad æquilibrium ſe non redegiſſent niſi poſt infinitos itus, reditusque, & errores? Ut dicam quod ſentio, effugium nullum aliud video, quo ex ultima mei dilemmatis

tis parte poſſit evadere Philoſophus iſte, niſi hoc, ſi dicat, initio ſpecioſi ſui ſyſtematis mentionem de Deo feciſſe; (ut fecit etiam in ſua Ethica Spinoſa) ut ſcilicet decipiat incautos, & indoctos; cum certe nihil aliud ille in univerſo agnoſcat niſi materiam, aut elementa, per quæ poſt innumeros impulſus, caſuſque conſtitutus ſit mundus; quod eſt ipſum ſyſtema Epicuri, cujus ſe philoſophus hic cum in *ſpeculativa*, tum in parte *practica* operis ſui fideliſſimum aſſeclam præbet conſpiciendum. Hoc tamen ſyſtema quam eſt impium, tam falſum, & repugnans ex rebus hucuſque dictis arguitur.

§. IX.

Pulchritudo, & amplitudo univerſi: conventus partium: relatio mediorum ad fines: indicium ſapientis, potentis, liberique opificis.

SED redeamus e diverticulo in viam; & inſiſtentes veſtigiis noſtris ſuſceptam demonſtrationem & illuſtremus, & muniamus. Sola creatio hujus molis Artificem omnium naturæ virium potentiſſimum nobis ditexit; ac ſi attente velimus advertere perfectionem, quæ in tota hac eadem mole creata, & in ſingulis ejus partibus elucet, tum clare ſapientiam, libertatem, potentiam, divinamque virtutem agnoſcimus, ut cæca impietas tantum diſsimulare poſsit, ſe illam non introſpicere. Verba tamen non faciam de pulchritudine, quæ in to-

ta mole, & in ejus partibus tenuissimis pro singularum natura cernitur; pulchritudine, inquam, adeo perfecta & exquisita, & quæ admirabilia artis opera longe multumque superat. (Vid. Wilkius *Relat. Nat. l.1. c.6.* Lyonnet. *Theolog. des insec.* Tom.II. c.4.). Missam facio amplitudinem pene immensam hinc *magnitudinis*, hinc *parvitatis*, in quam expansum mundum videmus. Si tellus cum sole collata (legantur Hugen. *Cosmotheor.*lib.II.p.711. Maraldus *Histoire de l'Acad. an.*1716. Nievventit. *Exist. de Dieu l.3.c.1.*) est instar parvi globi, collataque cum planetario systemate vix est instar millii grani; quid erit cælum stelliferum, cujus quodlibet astrum primæ magnitudinis est velut sol, & fortasse centrum alterius planetarii systematis? quæ amplitudo latissima! Si postquam inspeximus Elephantem nudis oculis, & eos convertimus ad tineam, quæ est omnium insectorum, quæ quidem sub aspectum cadant, minima, speculemur ope *microscopiorum* alia genera insectorum tinea ipsa mille millies minorum (*Hist. de l'Acad. an.*1718.) quæ progressio incredibilis! Legi possunt, & apud Astronomos, & apud Scriptores Naturalis Historiæ observationes hujusmodi ubertim descriptæ, aptæque ad ostendendam evidentissime potentiam illius brachii, *quod pertingit a fine usque ad finem fortiter*. Ego enim, ut dixi, totum id silentio prætereo; cum præcipue hoc velim, ut in hoc universo spectetur artificium partium innumerabilium, & diversarum singu-

singularum tamen non solum in suo genere perfectarum, sed omnium simul colligatarum summa concentione, ordine mirabili *finium*, *&* *mediorum*; finium, inquam, nobilissimorum; mediorum ex omnibus aptissimorum, & opportunissimorum. Videt sapiens Lector, tam late patere hoc argumentum, quam late universum ipsum patet; quod quidem contemplans Plato dixit, *Deum geometrizantem* omnia fecisse; sapiensque Filius Sirach, *eum in numero*, *mensura*, *&* *pondere omnia disponere*. Multi præclari doctrina viri cum veteres, tum recentes multa verba de illo fecerunt; ego nonnisi specimina aliqua brevissima exscribam. Systema solare nobis statim objicit, quam innuimus, admirandam veritatem in æqua magnitudine, & distantia, quam inter se habent corpora, quæ illud componunt; cum appareat cuicumque, modo cæcus non sit, opus textura exquisitissimum, & sapientissimum. Tellus verbi causa, & Sol collocantur in iis duobus assignatis punctis longinquitatis, quæ, pensatis eorum massis, & affectionibus, erant illa una, & non alia, in quibus astrum illud globo huic nostro poterat prodesse. Variatio loci illorum duorum punctorum efficiebat, ut periret quidquid pulchri, quidquid boni est in tellure, & vivit, moveturque. Si enim Sol magnitudine sua tanta vicinior esset, præ nimio æstu languescerent, & morerentur animalia plantæque, liquefierent metalla, evanescerent fluida, nulla esset atmosphæra, nullæque

 nubes,

nubes, tellusque in pulverem, & cinerem redacta sterilis omnino esset, & infæcunda. Si magnitudine sua sol longius distaret, statim viventia omnia gelu concreta, & extincta, retenta glacie flumina, tacentes ventos, nubes e cælo dilapsas, terram asperam, minusque producendis herbis idoneam, quasi lapidem videremus. Si vero in eadem distantia sol esset aut major, aut vividiore calore præditus, æstu globo nostro exitium afferret; sin autem minor & mole, & virtute, gelu tellus periret. Convenientia igitur in proportione tam æqua magnitudinum, & distantiarum horum duorum corporum, electio collocationis eorum in immensa extensione spatiorum cœlestium in iis duobus punctis artificem nobis demonstrant, qui rerum inter se relationes cognoscit, qui pensitat earum vires, qui prævidet consequutura ab omnibus systematibus, & qui æqua sapientia, potentia, & bonitate optimum eligit. Quod in creatione horum duorum corporum animadvertimus, id animadverti potest constanter, firmiterque in innumerabilibus partibus vel minimis Universi, quæ nobis innotescunt. *Anotome* una plantarum, & animalium argumenta clarissima opificii incomparabilis, & infinitæ Sapientiæ nobis suppeditat.

Pauca de his extremis tantum dicam. Celebris est Galeni sententia, tum cum contexens librum suum *de usu partium humani corporis*, obstupefactus miro artificio, quod e quavis particula emicans patefacit opus sapientissimi,

mi, ac potentiſſimi Creatoris, ſcripſit, volumen illud eſſe *Hymnum* Deo glorioſiorem, quam thura, centumque bovum effuſus cruor eſſet. Nova tamen prodigia quotidie detegunt præter animadverſa ab antiquo illo Scriptore in animali corpore hujus artis cultores, qui cum nobis oſtendere ſoleant, munera, fineſque, ad quos detectæ partes referantur, eodem tempore oculis noſtris eas ſubjiciunt ea configuratione, eo ſitu, duritie, flexibilitate præditas, quæ unice ad illum finem conſequendum requirebantur; ita ut ex immutata una tantum vel tenuiſſima, & interdum oculorum aciem fugiente circumſtantia, illico artificii turbatio, & interdum diſſolutio, animaliſque mors enaſcatur. Ut enim, cauſa exempli, viveret animal, opus erat, ut chylus non cum fæcibus exiret, ſed per totum corpus diſtribueretur. Ad hunc finem *inteſtinis* adhærent ſubtiliſſimæ illæ venæ, quæ *venæ lacteæ* nominantur, aptæ ad recipiendum liquorem hunc adeo ſalutiferum, & ad deducendum in quoddam, quod ex officio receptaculum chyli dicunt, ex quo per vertebras dorſi ſe extollens ductus illum ſublevat, & ope crebrarum valvularum ſuſtinet, ne relabatur, donec pervenit ad venam ſubclaviam, in quam deſinit. At qui fieri poterat, ut in venam hanc, in quam excurrit, deberet ingredi chylus, neque vice verſa per ductum chyli ſanguis in venam illam deſcenderet? Sic habe: intro venam ipſam ſuper orificium ductus chyli apparet membrana, quæ vici-

vicibus valvulæ fungens eodem tempore impedimento est, ne sanguis supra ipsam excurrens deorsum descendat per ductum illum; & ex latere, unde effluit sanguis, illi opposito repetens aditum aperit chylo, qua intrat in venam, & a copia sanguinis raptus cum ipso permixtus, & confusus simul ad cor migrat, & inde per venas circumeundo per corpus diffundatur; atque hoc modo & augetur, & conservatur animal. Sed quæro, hæc admiranda valvula, tam affabre elaborata, & opportune eo loci posita, cujus ope mortifera impeditur turbatio, quæ opificio eveniret, si thoracis sanguis per illum ductum præceps deorsum ferretur, animalque vita fruitur ob permixtionem chyli qui est esca, cum sanguine; hæc valvula, inquam, a quo umquam nisi a Sapientissimo in eo venæ loco, non in alio, & hac forma elaborata, collocata fuit? Sanguinis circulatio his temporibus experientiis minime dubiis illustrata, quam ingentem apparatum venarum, vasorum, valvularum, ligaminum, sinuum non requirebat, ut humor hic vitalis ex corde exiens usque ad summas, imasque corporis partes diffunderetur, & hinc ad cor rediret tam cita pernicitate, ut juxta Harvæi computum viginti vicibus per horam quamlibet massa cuncta sanguininis hominis, quæ est pondo circiter viginti quatuor *librarum*, orbem suum perficiens per cor transiret? Tamen omnia hæc multiplicia instrumenta ad hunc perpetuum velocissimum motum efformata, &
omnia

omnia ſtatuta ad illud temporis punctum, quo excellens indiget opus, in homine reperiuntur. Non vacat longius immorari argumento, quod nullos habet terminos. Dicamus ſummatim: conſtructio, viſque muſculorum, cerebri ſtructura, oſſium diſpoſitio, ramuli nervorum, materies, ſitus, tunicæ, & tegumenta, quibus viſcera ſepiuntur, id totum quemlibet in ſui admirationem trahere debet, non ſolum ob artificii excellentiam, quæ in ſingulis his partibus eluceſcit, ſed multo etiam magis ob eam æquiſsimam junctionem, quam inter ſe habent, ita arctam, ſemperque eamdem, ut ſi unius earum partium, quæ animal conſtituunt, vel ſitus, vel magnitudo, vel durities, vel quælibet alia qualitas immutaretur, continuo perturbatio, vel exitium, vel certe operis deformitas ſequeretur. Jam in hac mira rerum complexione, & in hac aptiſsima relatione mediorum ad finem ex materia tam fragili perfecta, in locis adeo inter ſe implicitis, partibus tot, tamque inter ſe diverſis neque conſilium erit, neque electio, neque mens, neque ratio, ſed erit una vox ſenſus inanis, ut ſonat in incredulis, naturæ, caſuſque? Enimvero oportet *ſpiritus fortes* habeat, qui ſine indignatione opinionem adeo a ratione diſſonam audire poteſt. Quamquam poſtquam indicavimus congruentiam, quam animalis partes inter ſe habent, ut artificium tam venuſtum conſtituatur, operæ pretium eſt obiter contemplari diſpoſitionem apprime aptam reſpectu rerum externarum,

rum, cui inserviat usui, aut quæ pariat emolumenta, aut quæ repellat damna, quæ inde in animal derivari possunt. Et ut quosdam terminos, velut cancellos, sermoni nostro statuamus, extra quos non vagetur licentius, consideremus concentum, qui est inter *organum* visus, & lucem, quæ cum per se cernitur, tum in causa etiam est, cur cetera cernantur. Habes globulum non solum arte exquisitissima elaboratum, sed etiam perfectum iis qualitatibus, & proportionibus omnibus, quæ, hac lucis natura admissa, & his *refractionis* lucis legibas admissis, requirebantur necessario, ut impressio, picturaque externarum rerum fieret. Quidquid hic vides, perfectum est juxta exactissimæ Mathematicæ præcepta, aut ut verius loquar, est scientiæ Physico-Mathematicæ argumentum. Si opus vel tantillum immutaretur, aut visio non fieret omnino, aut perturbata fieret, & confusa. Libertinos nunc ad respondendum provoco, qua de causa prima tunica hujus globuli opaca retro, ut aliæ omnes sunt, sit ante *diaphana*, aut pellucens? Nisi quod refractione una radii simul non coaluissent, nisi post nimis longum intervallum; sed post triplicem refractionem tanto temporis intervallo coeunt, quantum satis est, ut externæ res retinam tangentes in ea pingantur. Dicant, cur humor crystallinus non sit figuræ sphæricæ, non *lentis* planæ, non concavæ, non *plano-concavæ*, non *concavo-convexæ*, sed ex utraque parte convexæ? Nisi quod hæc una figura, nul-

nullaque alia, natura lucis posita, apta erat, & necessaria refractionibus, quæ in oculo, ut visio fieret, requirebantur. Dicant, cur extra hos duos globulos adsint duo illa tegumenta, quæ palpebræ nominantur, ex pelle mollissima, sed quæ difficillime discerpatur, constituantur? Cur hæ regantur a musculis; qui dicto citius eas explicent, complicentque? Cur munitæ sint prominentibus, & duris pilis, qui inter se parum dissiti eas cingunt, ornantque? Quorsum hæc omnia? Nisi ut tegant, tamquam subtilissimo velo opera illa tanto artificio constructa, & ea tutentur a quovis externo impetu, ut objiciantur luci, cum somnus est capiendus, ut excludant ingratarum rerum, ne mentem perturbent, imaginem; ut repellant iis pilis nimiam radiorum copiam, arceantque corpuscula per aerem volitantia ab ingressu in oculi receptaculum, ne motum ejus impediant, aut quovis modo eum lædant. Quomodo ergo in his, innumerisqae aliis relationibus congruentiæ, & proportionis necessariæ inter media, finesque, inter *subjecta*, *& objecta*; inter oculum, & lucem non fatebimur, sicut in quovis alio effectu fatemur, esse caussam adæquatam, quæ sapientia, & potentia infinita prædita rerum *exemplaria* inter se componens, & eas adumbraret ejusmodi *harmonia*, & perficeret tam exquisite propositumque finem certitudine tanta pertingeret? An dicendum potius erit, eum, *qui finxit oculum*, *non considerare*? Quod diximus de visionis organo respectu lucis, dicen-

cendum est etiam de aliis sensibus respectu rerum sibi objectarum. Quod autem & in sensibus, & in animali corpore advertitur, advertitur in mundo toto ex innumerabilibus constante partibus non solum inter se colligatis, conjunctisque, sed unaquæque quarum potest aliquo modo considerari tamquam centrum commune aliarum omnium ad quam referantur singula, ipsaque referatur ad singulas: ita ut singulæ sint sibi mutuo & media, & fines. Hæc tamen innumera relationum vis, turbas nullas, confusionem nullam parit; quandoquidem immobiles sunt termini illi, qui naturas secernunt, servantque multiplicitatem partium in systematis unitate. Hinc ergo est illud inferendum, universum hoc factum esse ab Artifice, qui uno intuitu totum, quantum est, illud vidit, omnia quæ consequutura erant in partibus tam dissitis, tam diversis, tam minimis, in tot junctionibus tam variis, tot in casibus adeo admirandis vidit; ab Artifice, inquam, libero, & potentissimo, qui ex infinitis rationibus opportunissimas eligens rem quamlibet prævidit, infinitaque potentia hoc, qualecumque est, condidit universum. Jam opificem hunc tam sapientem, tam potentem, bonumque dicimus esse Deum illum, cujus cœli enarrant gloriam; & cujus potestatem annuntiat firmamentum; Deum illum, cujus sempiterna virtus, & divinitas per ea, quæ facta sunt, conspicitur, si modo oculorum acie non careamus, ut eam non videamus.

§. X.

§. X.

Atheorum responsum confutatur; Reducitur argumentum ad suum Principium: eruiturque demonstratio.

QUomodo non dicam vere, sed aliquo modo verisimili huic argumento responderi possit, non video. Tamen tantum abest, ut manus dent, ut etiam jactabundi dicant nonnulli, hunc esse locum topicum superstitiosorum; esse argumentum populare elegantibus descriptionibus concinnatum, non esse Geometricam demonstrationem; ac proinde cum non ostendat necessaria evidentia supremi Numinis existentiam, si quosdam imperitos movere potest, non esse ejusmodi, quod ratiocinatores sibi similes convincat. Nihil me movet aliud ad afferendas has insanias dignas prorsus quæ contemnantur, nisi hoc, ut Lectores cognoscant hostium Religionis ingenium, & ut allatum argumentum, iis refutatis, omnino evidens evadat. Ac primum quod ad Geometricam demonstrationem attinet, ab iis requiro, ut bona fide respondeant, si in aliquo deserto nemore palatium secundum artis leges magnifice extructum videant, cujus variæ partes sibi adamussim respondeant, totumque simul, partesque utilitati, voluptati usuique domesticorum quam exactissime inserviant; requiro, inquam, ab iis, ut respondeant, an diu hæ-

reant

reant ancipites, & dubii in decernendo, num palatium illud ſit ſapientis artificis opus, an fortuitus ludus particularum tenuiſsimarum, quæ dilapſæ ex præminenti montis rupe, diſciſsæ, motæque, & ſimul conjunctæ ſine cujuſquam opera ex ſe tantum eam in formam coaluerint? Annon verum eſt, vel ſolo ejus molis intuitu eos conſilium, opuſque Artificis induſtrii, & periti conjicere claritate tanta, quanta demonſtratio aliqua Euclidis de aliquo Theoremate eos certos facit? Quod ſi umquam ſcirent, ſe in alterutro errare, annon potius procul dubio ſuſpicarentur, aliquem paralogiſmum ineſſe in Euclidæa demonſtratione, quam crederent, ſe falli, putantes palatium illud ædificatum ab homine, qui cogitat, non a confracta rupe? Igitur, ego hinc colligo, etiam præter demonſtrationes Mathematicas invicta certitudine quædam veritates tenentur, quæ ad quantitatem, quam illæ ſcientiæ conſiderant, non pertinent; & quin gradatim mens noſtra tranſeat ab axiomatibus ad poſtulata, ab his ad ſyllogiſmos, tum ad corollaria, ſola contemplatione alicujus rei ſæpe rapitur ad inferendam rem aliam evidentia, & certitudine ejuſmodi, ut nihil hæſitet, nihil dubitet. Si ergo, quin opus ſit ad hoc Geometrica demonſtratione, pulchritudo, ordo, perfectioque ædificii ineluctabili modo demonſtrat, illud non potuiſſe caſu fieri, ſed ſcientia, & poteſtate ſapientium artificum; cur umquam, niſi ex pervicaci impudentia defectus Geometricæ demonſtrationis obii-

objicietur, ne agnoſcatur exiſtentia Creatoris ſapientiſsimi, & omnipotentis, cum ex pulchritudine, magnitudine, & ordine Univerſi longe evidentius elicitur?

Quamquam non ſum in ea opinione, ut credam, ex hactenus dictis noſtram illationem carere eo ratiocinii fundamento, quo certitudo demonſtrationum innititur. Enaſcitur illa radicitus a firmiſsimo principio, quod noſtrorum aſſenſuum *analyſim* nobis facientibus ſtatim objicitur, ex quo deducitur demonſtratio tam clara, & evidens, ut juxta, ac Geometricæ demonſtrationes, ſit certa. Sic paucis verbis eam habeto: Quoniam *nulla res eſt ſine ratione adæquata*, *ſive*, *ſine principio illo*, *per quod intelligitur*, *quare res ſit*: hinc ſequitur, unum, aut plura phænomena, in quorum certa eſſentia ſeu principio *adæquata ratio* invenitur, probare exiſtentiam illius Entis, ſeu principii.

Hæc propoſitio eſt extra omnis dubitationis aleam, reduciturque ſtatim ad principium omnium primum, quod *contradictionis* dicitur. Si enim hæc phænomena non probarent exiſtentiam illius entis, in quo ſolo reperitur *ratio adæqnata* eorum eſſentiæ, ſequeretur, ipſa exiſtere, quin exiſtat id, *ſine quo nequit intelligi, cur exiſtant*, quod implicat contradictionem. Pergamus porro: Hujus Univerſi hactenus a nobis breviter conſiderati, quod continet in ſe phænomena non ſolum per ſe ipſa ſigillatim perfecta, ſed admiranda harmonia ſibi invicem correſpondentia, & inter ſe ut media, fineſ-

que

que aptissime perfecta; hujus Universi, inquam, in uno Ente solum sapiente, libero, potente, bono *adæquata ratio* reperitur. Qui fingit casum, aut fortuitam unionem particularum, fingit pro *ratione adæquata* operis *rationabiliter* facti principium *sine ratione*; immo fingit (ut patet ex demonstratis) rem, quæ nullo modo fieri potest; immo nihil, sicut scilicet nihil, aut res quæ esse non potest fingitur in systemate Spinosæ, eorumque omnium, qui dicunt, mundum fuisse ab æterno, quin a Deo conderetur; quod in capite, quod proxime sequitur, ostendemus. Hoc universum ergo, dispositioque phænomenorum, quæ in illo cernuntur, probant existentiam Entis liberi, potentis, boni, quod est Deus O. M. quem colimus.

§. XI.

Existentia contingens rerum ultima demonstratio Dei existentiæ.

QUamquam autem tanta evidentiæ luce argumentum illustravimus, ut illi tantum futilia, & inania verba increduli possint opponere, tamen haud rem injucundam Lectori fecerimus, si insistentes vestigiis hucusque impressis sermonem producamus, neque a contemplatione hujus mundi oculorum aciem alio avertentes ad sublimissimum mataphysicæ demonstrationis gradum argumentum extollamus. Non solum enim *casus* hypothesim, sed quod-

quodvis aliud antiquorum, & recentiorum Atheistarum (de quibus uberius in proxime sequenti parte dicemus) systema radicitus illa convellit. Divus Thomas pluribus suorum operum in locis, semperque validissime de illa agit. Ita ergo ajo: Vidimus paulo ante, motum, multoque minus dispositionem partium non esse essentialem materiæ proprietatem; ac proinde causa extrinseca, incorporea, sapiente, & potente opus esse, ut illa hanc, & illum accipiat. Jam huic materiæ, partibusque cunctis, quæ hoc universum constituunt, non solum motus & dispositio conveniunt, sed *ne existentia quidem essentialiter convenit*; sic enim materia & partes existunt, ut potuissent non existere; & sane facile nos eas concipimus tamquam non existentes, aut alia, diversave ratione dispositas; quod certe non fieret, si existentia esset earum essentialis proprietas. Ergo totum hoc universum, & quidquid in eo continetur, est *entium contingentium* cumulus; ergo extra hunc mundum est *Ens necessarium* per se ipsum existens, a quo res hæ cunctæ habuerunt essentiam illam, quam e se ipsis habere non possunt. Quod ratiocinium innititur hoc primo principio, quod superius attulimus, *nullam rem esse sine ratione adæquata, aut sine principio illo, per quod intelligitur quare res sit*. Quoniam ergo *Entia contingentia*, qualia sunt materia, partes, effectusque omnes, quos in mundo cernimus, non habent in se suæ essentiæ *adæquatam rationem*; concipere enim possumus

sumus eas & existere, & non existere; ex necessaria consequutione ex his rebus gradum facientes dispicimus ens illud, in quo earum *adæquata ratio* reperitur, & quod voluit, eas existere, & tali modo existere. Inferimus autem ipsum vi naturæ suæ, hoc est ex se ipso, existere; & hoc esse Deum. *Videmus in mundo quædam, quæ sunt possibilia esse, & non esse, sicut generabilia, & corruptibilia. Omne autem, quod est possibile esse, causam habet, quia cum de se æqualiter se habeat ad duo, scilicet esse, & non esse, oportet si ei approprietur esse, quod hoc sit ex aliqua causa ..: Ergo oportet ponere aliquid, quod sit necesse esse . . . Et hoc est Deus, cum sit prima causa*. S. Th.I. con. Gen. c. XV. n. 4. Qua consequutione per demonstrationem deducta, gradum statim facimus per legitimas, necessariasque illationes ad conjiciendas illius supremi Entis incomprehensibilia evidentissima bona; & hinc ad profligandas invictis argumentis perversas opiniones, quas de Deo cum veteres, tum recentes libertini finxerunt. Idem D. Thomas & in parte prima Summæ Theologiæ, & in Libro primo contra Gentes egregie hoc opus est exequutus. Nos contenti erimus pauca ex illo delibare, eumque ducem sequentes ita disputare.

§. XII.

§. XII.

Dei perfectiones derivatæ necessaria consequutione ex eo, quod ipse per se existat.

EXistit ergo Deus, hoc est, ille qui *est per se*, ac proinde ex necessitate naturæ existit: ille ergo est *æternus*, cum non potuerit accipere ab alio vim existendi; nec ideo concepi potest temporis momentum, in quo non extiterit. (*S. Thom. I. contra Gen. c.CX. num.4.*

Deus est Ens *supremum*, quoniam a nemine pendet, qui *est per se*; totumque pendet ab eo, qui habet in se *rationem adæquatam existentiæ* omnium rerum. (*Ibidem*)

Deus est *perfectissimus*; nulla enim perfectio deesse potest illi, cui, *cum sit per se*, plenitudo essentiæ de essentia convenit, neque coarctari potest ratione ulla. (*I. P. quæst.4. art.2.*)

Deus est Ens *simplicissimum*; quidquid enim compositum est defectum habet in partibus, & ipsum totum pendet a partibus. Hoc autem repugnat Enti perfectissimo, & supremo. Est ergo Deus simplicissimus. (*Lib.I. cont. Gent. c.18.*)

Deus est *infinitus*. Cum enim sit perfectissimus, non reducitur ad ullum entium genus; sed quidquid perfecti, bonique est, ei per es-

sentiam convenit; illius ergo perfectio, & existentia nullis circumscribuntur terminis. (*Lib.I. cont. Gent. c.*43.)

Deus est *immutabilis*. Quod enim mutatur, aut acquirit aliquid, quo prius carebat, aut quid amittit, quo prius fruebatur, hoc in eum nequit cadere, qui per essentiam est perfectissimus, & infinitus. Immutabilis est igitur Deus. (*I. P. q.6. art.I. &* 2.)

Deus est *unus*, neque plures concipi possunt: siquidem cum perfectissimo Enti nulla perfectio deesse possit, neque defectus ullus in illud cadere; nulla ratio esse posset, cur duo entia perfectissima inter se distinguerentur. Præterea, cum nihil Enti infinito deesse possit, necessum est, ut sit unum; quoniam si plura essent, deesset singulis (saltem quoad extensionem perfectionum) id quod haberent alia, ac proinde non esset infinitum. Implicat ergo contradictionem asserere, esse plures Deos. Deus ergo est unus.

Deus est purus *Spiritus intelligentia*, *voluntate*, *libertate*, *omnipotentia* præditus, quoniam hæ sunt perfectiones simplices, hoc est, quæ nullum vitium in sua notione habent, ac proinde convenire debent Enti perfectissimo (*Lib.I. con. Gen. c.*44. *n.*5.) cui etiam novimus eas convenire; idque ex contemplatione rerum creatarum, quarum solum in Ente sapiente, incorporeo, potente, libero *adæquatam rationem* reperimus.

Deus est *provisor supremus*, quem nihil fugit,

fugit; immo cuncta novit, cuncta conservat, cuncta movet, & imperio non minus suavi, quam forti secundum sua consilia, quin aberret, & vincatur, res corporeas, & incorporeas ad statutum finem perducit. (*I.p. q.22. a.2.*) Hæc Dei proprietas a perfectione illius naturæ, a *contingentia*, *& dependentia* rerum conditarum necessario derivatur.

Deus est *justus*. Ordo necessarius, & æternus in ejus natura primitus effulget: atque huic ordini, in quo servando justitia tota est, Deus suis decretis immobilis adhæret. Notiones immutabiles hujus ordinis ille in mentibus humanis imprimit; hinc nascitur jus, quod naturale dicitur, quo servato, vel violato, homo est vel justus, vel injustus; quem proinde Deus hujus ordinis fons, custosque suppliciis, aut præmiis æquus semper afficit. Id totum ex notione Entis perfectissimi, & ab ejus nota supremi moderatoris recta deducitur. (*I.p. q.21. art.2.*)

Deus est *sanctus*; ipse enim novit infinitas perfectiones suas; has necessario, & essentialiter amat; in hoc amore, qui est rectissimus, & perfectissimus, sanctitas, quæ voluntatis perfectio est, essentialiter consistit. Deus igitur sanctus est.

Deus est *verax*. Intellectus Divinus regula prima est, mensuraque omnis veritatis. Quapropter Deus est veritas purissima, & ipsa veritas per essentiam. Nequit ergo ille decipi. (*I.p. q.16. art.5.*) Sed est etiam per essen-

tiam *sanctitas* ipsa, in quo nulla est macula; nequit ergo fallere. Ergo Deus verax est.

Deus est *Beatus*. Ipse se comprehendit, qui est infinita veritas; se ipsum amat, qui est infinitum bonum; ab hac cognitione, ab hoc amore voluptas infinita paritur; id autem totum veram beatitatem constituit; idque totum est una, eademque res in Deo, hoc est eadem ejus essentia. Deus ergo est Beatus, & essentialiter Beatus, & infinite Beatus. (*I. con. Gent. c.*100. 101. 102.)

Deus est hominum Beatitudo. Etenim Beatitas, seu ultima felicitas cum sit *status comprehensione omnium bonorum perfectus*, omniaque bona isthæc in Deo contineantur, qui est Ens perfectissimum, qui ad eum possidendum pervenit, illum videndo est omnino beatus: quoniam nullum est in eo desiderium, quod non satietur, ut desideria singula recensens D. Thomas ostendit. (*Lib.III. con. Gen. c.*63.) Deus ergo est suprema nostra beatitas. Aliæ perfectiones naturali rationis lumine conjici possunt ex notione illa, quam de Deo effingimus per contemplationem harum rerum conditarum, quæ via est, cui institimus in hac demonstratione, quamque nobis indigitat D. Paulus, ut cognoscamus non solum essentiam, sed etiam attributa Dei, ad Romanos scribens: *invisibilia Dei, & ejus æterna potentia, & divinitas per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Sicut autem in hoc brevi divinorum attributorum specimine asserendo D. Thomam sequu-

sequuti sumus, ita si hæc, & alia copiose, & firmissimo ratiocinio hoc ab illis deducta, fuisque illustrata luminibus avet cernere, adeat Lector ejusdem Doctoris, quæ citavimus, opera; ejus cum rectitudine, acumine, & claritate cogitandi, nescio, an quisquam recentiorum ausurus sit se conferre.

§. XIII.

Specimen ratiocinandi Roussoji in hac materia.

INter celebriores nostrorum temporum, & ingenii scriptores acumine, & ratiocinandi vi est Roussojus, cujus opera primario in Bibliothecis Libertinorum loco sunt. In suo libro, quem *Emile* inscripsit, postquam ille satis eleganter, & clare Dei existentiam demonstravit argumentis ex *motu*, & ex mira universi *Dispositione*, en quomodo ratiocinari pergit Tom.III. pag. 56. *Credo ergo, mundum regi a voluntate potente, & sapiente. Id video, sive potius sentio; atque hoc est illud, quod me juvat scire. At hic idem Mundus estne æternus, an creatus? Num unum tantum est rerum principium? an duo? an plura? quænam est autem eorum natura? Nihil horum scio; quid autem hoc scire ad me attinet?* Verba hæc quæ certe debent prudentibus lectoribus admirationem movere, & stomachum, sunt ejusdem generis, ac illa, quæ idem Auctor eodem libro de Evangelio scribit; ubi cum illud tam-

quam Scripturam vere a Spiritu Sancto inspiratam laudarit, continuo hæc addit Tom. III. pag. 168. *Tamen hoc idem Evangelium scatet rebus incredibilibus, quæ rationi adversantur; rebus, quæ concipi & admitti ab homine cordato nequeunt.* Quid sentiendum est de hac scribendi ratione? Habes paucis lineolis *jacta* eodem tempore, & *eversa* fundamenta Religionis Naturalis, quæ est Dei existentia, & Religionis Revelatæ, quæ est Evangelii divinitas. Crederet quisque, & quidem jure, ingenium primæ classis, ut jactatur Roussojus, ignorare non potuisse, quam male inter se cohærerent, immo secum invicem pugnarent hæ propositiones, ac proinde eum ita scribere, ut incautis verba det, amicisque ridendi materiam præbeat. At qui dici potest hoc. In epistola enim ad Archiepiscopum Parisiensem hæc notatu digna verba audet scribere: *Hostes mei... vel inviti hoc me honore cohonestabunt, me de rebus omnibus vera scribere, me esse auctorem unum hujus sæculi, multorumque aliorum etiam* (qua *spiritus vi* opus est, ut hæc scribantur!) *qui bona fide scripserit, nihilque dixerit aliud, nisi quod verum putavit esse.* Age vero, concedamus ergo illi decus hoc, ut sit *unus* verax e scriptoribus sæculi præsentis, præteriti, futurique; at nostrum erit eodem tempore eum monere, cum hac scribendi *veracitate*, & cum hac prædicanda ab omnibus *bona fide* illum inauditam incredibilemque cogitandi rationem conjungere. Quod ad Evangelii divinitatem attinet,

net, fusius alio loco agemus. Agamus nunc de Dei existentia, quam ille probat, ut diximus, ex phænomenis, quæ in Mundo videmus; ac deinde ait, se nescire, utrum *mundus æternus sit, an creatus*. An magnum est ostendere harum assertionum *antilogiam*? Si mundus non esset creatus; ergo phenomena, quæ in mundo sunt, existentiam Dei non probarent: ipse enim ejus auctor non esset. Sed si phænomena, quæ cernimus, præcipue motus, & ordo, Deum demonstrant, sicut revera, ex sententia etiam nostri philosophi, aperte eum demonstrant, cum non possint nisi ab illo produci; ergo, ex demonstrationis hujus vi de mundi creatione ambigi non potest. Respondebit fortasse Roussojus, se dubitare solummodo de materiæ creatione; hoc est, num hæc semper per se ipsa fuerit, qua Deus usus fuerit tamquam *passivo principio*, ut mundum crearet, dispositis miro ordine partibus, inditoque motu illo, quem adhuc in mundo cernimus, ut videtur sentire in prædicta epistola ad Archiepisc. Parisiensem *pag.51*. At hic illum ipsum tam acute cogitantem appello. Materies non creata esset *Ens ex se*; ergo esset ens prorsus necessarium, & liberum a quocumque; ergo non posset subjici liberis actionibus, impulsibus, modificationibus alterius principii. Atqui (repono ego) modificationes, dispositiones, & motus materiæ sunt a Deo; hoc enim modo invicte ejus existentia probatur, sicut una nobiscum Philosophus hic ostendit:

non est igitur *materia ex se*. Ergo demonstratione illa approbata, nequit in dubium revocari materiæ creatio. Crederem, his argumentis nulla ratione posse fieri satis. Non me fugit tamen, in epistola prædicta ad Archiepiscopum Parisiensem Philosophum nostrum proferre Ecclesiæ Patres non creatæ materiæ Patronos; at locum hunc iis discutiendum relinquimus, qui demonstrarunt, quot in errores *facti* Genevensis Scriptor *bona fide* sit prolapsus. Materiam increatam Sancti Patres, vereque sapientes putarunt adversari non solum principiis præcipuis Religionis, sed etiam clarissimis sanæ Philosophiæ notionibus. Remur, argumentum a nobis superius allatum, desumptumque *a contingentia* ipsius materiæ esse satis evidens. Alia & quidem fortissima afferrentur inferius; non enim hic longius de hoc acturi sumus, cum simus contenti, rebus hactenus prolatis, ingenii, rectique ratiocinandi modi recentiorum nostræ Religionis adversariorum specimen aliquod dedisse.

PARS

PARS SECUNDA

IMPIORUM OBJECTIONES CONTRA DEI EXISTENTIAM EXPENDUNTUR, ET SOLVUNTUR.

XII. *Alia argumenta* circuli vitiosi, *unde hujus corruit ædificium. Advertuntur quædam de Spinosæ asseclis.*

XIII. *Objectiones novissime propositæ in Anglia contra argumentum pro existentia Dei allatum Parte superiori examinatæ, solutæque.*

§. I.

Error primus eorum, qui dicunt, Mundum esse ab æterno.

DEI summe sapientis, potentis, bonique, & perfectissimi existentia tam clare elucet in creatione, & conservatione hujus universi, ut numquam veritas hæc fuisset a Libertinis in dubium revocata, si haberetur ab ipsis in eo genere, in quo sunt veritates mere physicæ, & mathematicæ. Sed quia confessio tanti Numinis eorum mentes perversas, & nequam sus deque turbaret, & perterrefaceret, nil intentatum relinquunt, ut obscuris sophismatibus invisæ luci aditum omnem intercludant. Ajunt ergo, argumentum a nobis hactenus allatum ostendere quidem, dari omnino non posse systema Epicuri, eorumque omnium, qui opinantur, fuisse in tempore creatum mundum hunc cæco, fortuitoque concursu atomorum, seu particularum, emergentium viribus suis ab immenso chaos, conjunctarumque tot pulchris formis, modisque, quot in universo cernuntur; sed inquiunt, se hanc novam rerum

rum creationem respuere; immo se asserere, Mundum hunc fuisse semper, & a tota retro æternitate ejusmodi, qualem nunc intuemur. Quapropter in hac infinita diuturnitate temporum, in hac infinita causarum, & mutationum vicissitudine nihil aliud ipsi cernentes nisi generales leges Mechanicæ, necessum non esse, ajunt, sua quidem sententia, ut hæc causa prima sapiens, potensque, Mundi creatrix, moderatrixque ponatur.

Hos ita blaterantes audiens, videor mihi videre Cacum illum *semivirum*, & *semiferum*, (liceat mihi hanc afferre imaginem, quæ mirum in modum rei convenit) qui in Aventini specu multa vi ab Hercule pressus, oppugnatusque lapidibus, armisque, cum nihil reliqui haberet aut ad resistendum, aut ad evadendum, cœpit e faucibus ingentes fumi globos evomere, & antrum cæca caligine involvens a prospectu, & ab ictibus prævalidi hostis, ratus est se posse subducere. Ita Libertini his æternitatis, & infiniti ambagibus; his effectuum, causarumque innumeris vicissitudinibus veluti atri globis fumi, nituntur sibi, nobisque eripere prospectum clari veritatis luminis, quod nobis primam supremam causam ostendit, & se a telis tutari, unde hoc argumento eorum impietas prosternitur. Sed frustra omnia. Atque eccum qua claritate res conficiatur.

§. II.

Neque ex hac hypothesi potest deduci, & confirmari Atheismus.

DEmus ipsis paulisper, mundum extitisse ab æterno: quid inde inferent? ergo Deus non est? vah distortam illationem! Mundus, ut ostendimus, complexus phænomenorum est ita conjunctus cum principio sapientissimo, omnipotente, optimo, ut ipsum unum in se contineat illa, & unum illa conservare possit. Ergo etiamsi concedamus, mundum ab æterno fuisse, habet tamen necessario hanc junctionem cum hoc principio, ut sine illo possit nec esse, nec conservari. Ergo Mundus ab æternitate creditus tantum abest, ut Deum destrueret, ut argumento etiam esset existentiæ illius, hoc est, illius causæ, sine qua nec subsistere, nec esse mundus potest.

Quod si quispiam diceret, cum debeat causa tempore effectum suum præcedere, mundi æternitate supposita, non posse amplius causam ullam concipi, quæ illum crearit, & ex rerum consequutione in hac hypothesi Deum excludi; responderet ad id D. Thomas, eam causam quidem necessario præcedere tempore debere effectum suum, quæ agit, & producit effectum suum per motum, cum concipi nequeat motus nisi successive, aut in spatio, in cujus termino sit effectus, causa in principio.

pio. *Quod dicitur agens de necessitate praecedere effectum, qui per suam operationem fit, verum est in his, quae agunt aliquid per motum, quia effectus non est nisi in termino motus; agens autem necesse est esse etiam cum motus incipit. In his autem, quae in istanti agunt, hoc non est necesse*. Lib.II. cont. Gent. c.38. Vide etiam 1. *P. q.46. a.2.* At si in istanti, non successive fiat actio, non est opus, ut causa praecedat *duratione* effectum suum. Quare cum Deus non successive per motum, sed actu simplicissimo suae voluntatis mundum crearit, etiamsi ab aeterno vellemus mundum concipere, non idcirco effectus nota ex illo deleretur, neque ex Deo verae causae. Nihil ergo hoc aeternitatis nomine consequerentur Libertini, nisi praeterea probarent, molem hanc ens liberum esse, & per se existere; quod non solum ab omni aeternitate extiterit, sed etiam ita extiterit, ut non potuerit non esse, quippe quod in se habet, & suae existentiae & suorum attributorum *adaequatam rationem*. At qui, at quandonam hoc deliramentum probarent? Motus unus, quem vidimus non de essentia inesse in materia, satis eos refellit, probatque, Mundum haud in se rationem suae existentiae habere, sed pendere ab extrinseca causa materiae creatrice, dominaque.

§. III.

§. III.

Fingere infinitam causarum seriem est nimis infirmum sophisma, quod nihil Atheis opitulatur. Mechanices leges examinantur.

HOC idem dicatur de æternis procreationum seriebus, infinitisque causarum ordinibus ab incredulis confictis. Spinosa de quo paulo post copiose loquemur, ambages scilicet harum infinitarum causarum captat ad explicandum motum, quin ad æternum Numen confugiat. *Corpus* (inquit ille Ethic. par. 2. prop. 13. Lem. 3.) *motum, vel quiescens, ad motum, vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum, vel quietem determinatum fuit ab alio; & sic in infinitum.* Ridiculum sophisma! At qua de causa, peto, debet postremum hoc corpus ab alio corpore ad motum determinari? Eo quod natura sua est iners. In secundo vero corpore, quæro, cur necessaria est hujusmodi determinatio? Eo quod natura sua est iners. At corpora per hanc seriem progredientia mutantne naturas suas? Minime vero. Ergo etiamsi procedant in infinitum, si cuncta erunt corpora, cuncta erunt inertia. Ut igitur habeatur motus, oportebit, ut extra hanc infinitam seriem sit principium aliquod non materiale, non corporeum, quod motum, quem ex natura sua non habent, in illis

illis imprimat. Quamvis ergo admittatur hypothesis progressionis infinitæ causarum, non possunt tamen Athei, quin tandem aliquando in Deum desinant, phænomena hujus molis, etiamsi æterna conciperetur, explicare. Quapropter sunt nugæ nugarum ineptissimæ istæ *Mechanices leges*, quas ii semper crepant, & quarum ope comminiscuntur Mundi machinam ab ipsa æternitate existere, & regi. Si sine Deo motus non datur in materia, qui erunt sine Deo Mechanices leges, quæ sunt motus leges? Quamquam demus ipsis cum Nevvtono, aliquo modo concipi, planetarium systema vi harum legum orbitas suas peragere; hoc tamen certum est, ope harum legum (ut fatetur acutissimus hic Philosophus (*princip. Schol. General.*) non potuisse ea corpora illo ordine admirando, & pulcherrimo disponi, quem nunc in systemate planetario servant: ergo systema, hoc, etiamsi fingatur æternum, ex origine sua tamen pendet ab extrinseco principio sapientissimo, & omnipotente, quod ita illud concinnavit, unaque indidit illi motum, quem ex se non habebat, temperavitque hujusmodi motum iis constantissimis legibus, quibus nunc etiam agitur. Quibus Mechanices legibus ceteroquin (ut id leviter tangam) etiamsi explicari plurima phænomena hujus universi possint, omnia tamen explicari non possunt. Testatur id P. Malebranchius patronus, ut quisque novit, acerrimus legum generalium, quique, quantum in se fuit & earum simplicitatem, &

fœ-

fœcunditatem expoſuit. *Corpora organica* (inquit ille Meditat. VII. n. 4.) *nequeunt produci ope unarum communicationis motus legum .... quæ ad duas reduci poſſunt ... at conſtat, has duas leges, aliaſque ſimiles mole conſtituere non poſſe machinam, cujus inſtrumenta ſunt innumera, & quorum ſingula uſum peculiarem habent.* His ergo Mechanices legibus, hac infinita cauſarum ſerie, hac mundi æternitate nihil Athei conſequuntur; neceſſario enim hujus molis origini debet intereſſe Deus, hoc eſt ens ſapientiſſimum, omnipotens, liberrimum, optimum, ab hoc mundo diverſum, ſine quo nequit ipſe aut moveri, aut eſſe, aut concipi.

§. IV.

Opinio antiquorum Philoſophorum de mundi æternitate nihil pro libertinis facit.

Atque ita revera opinati ſunt (quamquam quoſdam in errores inciderint) inſigniores antiqui Philoſophi, Pythagoras, Plato, Xenocrates, Dicæarcus, Ariſtoteles, aliique, qui licet crediderint mundum æternum, tamen numquam eum dixerunt *increatum*, *liberum*, *ex ſe exiſtentem*, ſed a Deo, id eſt *ab Ente ſapiente, incorporeo, primo motore immobili, cauſa originali, & primaria, exemplari primo*, & *æterno* eorum omnium, quæ extra ſe ſunt in Univerſo. Quod & Huetius (*Alnet. quæſt. Lib. I. cap. 5.*) & Clarchius (*de l' exiſtence*

stence de Dieu, Tom.I. cap.4.) plurimique nostrorum temporum Scriptores demonstrant; quod jam longe ante adverterat D. Thomas (*I.P. quæst.46. art.2. ad 1.*) & D. Augustinus *De Civit. Dei Lib.X. c.31.* cujus verba sunt hæc: *Quamquam & de Mundo, & de his, quos in Mundo Deos a Deo factos scribit Plato, apertissime dicat, eos esse cœpisse & habere initium; finem tamen non habituros... Verum id quomodo intelligant, invenerunt, non esse hoc videlicet temporis, sed substitutionis initium. Sicut enim, inquiunt, si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper & subesset vestigium: quod tamen vestigium a calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quam alterum ab altero factum esset; sic, inquiunt, & Mundus atque in illo Dii creati & semper fuerunt, semper existente qui fecit, & tamen facti sunt.* Injuria ergo Athei nostrates jactitant nomen, & auctoritatem eorum, qui licet non recte opinarentur, *& irent in adinventiones mentium suarum*, hoc tamen satis patet, propterea quod mundum ab æterno crediderint, non ideo Atheos illos fuisse, immo fatentes principium omnium rerum Deum, istorum impietatem damnasse.

§.V.

§. V.

Nullum monumentum afferri potest quod progrediatur ultra Mundi originem a Moyse descriptam. Inane perfugium ad Sinensium Chronologias.

Sed a diverticulo revertamur in viam; petamusque a nostris Philosophis, ut pro ea qua pollent, doctrina, & eruditione, producant ea monumenta, e quibus æternitas mundi innotescat. Nos eum creatum dicimus ab hinc sex mille annis, idque dicimus fidentes dictis antiquissimi omnium Scriptoris, qui quidem nobis notus sit, isque fuit Moyses, cujus divina auctoritas clarissime probatur. Cum ejus Historia omnia monumenta quæ habemus, mirifice conveniunt; hoc est, omnes una voce describunt nobis hanc rerum creationem novam, & in tempore: neque vestigium ullum investigare fas est, quod nos deducat ultra prædictam *Epocham*. Dicamus ergo nos quoque Atheis nostrorum temporum, quod Philosophis æternitatis mundi propugnatoribus ajebat Lucretius (*Lib.V. v.325.*)

> .... *Si nulla fuit genitalis origo*
> *Terrai, & Cœli, semperque æterna fuere,*
> *Cur supra bellum Thebanum, & funera Trojæ*
> *Non alias alii quoque res cecinere Poetæ?*

Quo

Quo tot facta virum toties cecidere? nec usquam
Æternis famæ monumentis insita florent?

Ita lacessebat suos adversarios Lucretius jam ab hinc decem, & octo sæculis, neque dubitari potest, quin hoc eodem argumento usi fuerint tercentos, aut quatuor centum annos ante alii Epicurei, hoc est a suorum præceptorum Democriti, & Epicuri temporibus. Interea ab illa ætate usque a Philosophis aliarum sectarum, qui de hoc acriter inter se digladiabantur; atque illinc usque ad nostra tempora nondum responsum est ab adversariis Religionis, & Moysis, producendo aliquod monumentum, quod non solum eam ætatem præcedat, sed quod proxime accedat ad Epocham, ad quam Historicus ille mundi creationem refert. Quodnam est ergo argumentum illud, quo Libertini hujus mundi æternitatem stabiliunt, cui monumenta cuncta quæ habemus adversantur? Nos ex iis novimus, quæ regiones primum cultæ fuerint; nationum migrationes, & domicilia; inventionem artium; originem consuetudinum, militarem disciplinam, politiam, Religionem; detegimus præcipue disseminatam, propagatamque traditionem de homine primo, a quo humanum genus totum derivatur, & Historiam Mundi ortus creati juxta Moysis descriptionem (quoniam fabulosa multa irrepserunt). Satis est vel per transennam Eusebium legere (*Præpar. Evang. l.I.*) ex veteribus, Huetium (*Alnetan.*

netan. q. l.III. c.5.) & Grotium (*De verit. Relig. Christ. Lib.I.* §.16.) inter recentiores, ut hujus veritatis testium prope innumera copia cernatur.

Scio, nostri sæculi Libertinos, ut, si fieri posset, everterent Mosaicam Chronologiam, perfricta fronte ausos fuisse afferre in medium quibusdam cum animadversionibus cum ridiculis, tum ineptis antiquitates Sinenses. Nemo ignorat, Abbatem Pradesium, in præclara sua Thesi eo temeritatis fuisse progressum, ut rejiceret tamquam non genuinas Chronologias, quæ in Libris Moysis sunt, quod cum Sinensibus congruere non poterant. Sed præter inustas justæ damnationis notas huic impietati, operæ pretium est legere hujus Thesis examen, & peracutum, & eruditum, in quo inter cæteras hæ duæ probantur propositiones: Prædictum Abbatem Historiam Sinensium ignorare; Et licet eam novisset, non potuisse illum inde ad suam Thesim confirmandam quicquam desumere. At nonne res est admiratione digna; hos scriptores tam exquisita arte critica præditos, qui nequeunt concoquere Historias in Sacris Litteris relatas iis insignitas notis, quibus nullæ sunt certiores, aut optari possunt, devorare, tamquam certissima monumenta, has Sinenses quisquilias erutas ex ultimis Orientis angulis, scriptas lingua, & litteris omnino ignotis, & fortasse ab iis nec umquam visis, nec umquam examinatis? Quamquam illustres illi viri, qui tantum laboris susceperunt, ut nobis anna-

annales illius nationis exponerent, quales ſunt Hirus, Caſſinus, Wiſtonus, præcipue vero Freretus in Hiſtoria linguaque Sinenſium admodum verſatus, ſatis oſtendunt, quam inutiles ſint conatus putantium, ſe poſſe Sinenſibus monumentis Moyſis Chronologiam falſitate coarguere. Primum quidem ob errores, qui de Ecclipſibus, aliiſque aſtrorum conjunctionibus in iis annalibus reperiuntur; deinde quia illa tam magna annorum ſeries, quorum mentionem faciunt, non vera eſt, ſed fictitia, cum nihil aliud ſit, quam *productum* periodorum Aſtronomicarum inventarum, ut conjunctio planetarum in quibuſdam junctionibus ſciri poſſet; demum quia prædictus Freretus hujus materiæ ſi quis alius peritiſſimus, in *Memoriis*, quas Pariſienſi Academiæ obtulit, oſtendit, Regna Yai, & Chunæ duorum illius imperii inſtitutorum deſiiſſe tantum anno milleſimo nongenteſimo nonageſimo primo ante Æram Chriſtianam, ac proinde non modo non ſuperare, ſed ne progredi quidem ad Epochas creationis, vel diluvii a Moyſe ſtatutas. Quod tamen in hac re præcipuum eſt, & ad id, quod præ manibus habemus, maxime pertinet, illud eſt, hæc ipſa Sinenſia monumenta Libertinis æternitatis mundi propugnatoribus aperte adverſari, ut docet P. Cupletus qui edidit Tabulam Chronologicam Sinenſis Imperii. Præmittunt antiquitatibus ſuis Sinenſes creationem Cœli, Terræque, maris, & fœminæ diverſis temporum intervallis, atque ita rem enarrant, ut non valde

de difficile sit inter plurima fabulosa commenta quamdam subobscuram lucem veritatis, quam in Moysi Genesi legimus, internoscere; quod plerumque usuvenire solet in traditionibus, aut fabulosis historiis aliarum gentium.

Fatua cogitatio Auctoris Epistolarum Persicarum.

Huic antiquorum monumentorum consensui *Epistolarum Persicarum* Auctor omnino assentitur. Quare a se fictum Usbechium ita loquentem introducit Epist. 99. *omnes scriptores Historici de primo patre loquuntur, nobisque enascentem naturam humanam describunt.* Ergo inquiet Lector, etiam eruditi hujus viri sententia quæstio nobis adjudicatur. Res tamen longe aliter se habet; sic enim ille prosequitur, *annon conveniens naturæ est opinari, Adamum servatum fuisse a communi infortunio, ut fuit Noemus a Diluvio, & hujusmodi casus sæpe post creationem mundi accidisse?* Num ita *opinari conveniens naturæ sit*, judicet qui sapit. Omnes Scriptores, & ex iis ille, cujus Auctor (qui non erat Persa, sed Gallus) auctoritatem, pondusque ignorare non poterat, *nobis humanam enascentem naturam describunt, Mundumque recens creatum*; ostenduntque nobis libris suis, hanc fuisse communem traditionem, & proinde usque ad caput, unde humanum genus diffusum est, progressam. Hoc testimonio tamen cognito, ultroque recepto, credetur *naturæ convenire*

nire opinari, rem alio modo eveniſſe, idque non aliam ob cauſam, niſi ob eas ridiculas conjecturas toties a Libertinis prolatas non aliunde, quam a ſuo ingenio deductas? ut æquiparetur, ſupereturque omnium Scriptorum, & Moyſis præcipue auctoritas, qui de hac re, nempe de creatione Mundi, & primi humani generis parentis idem ſcribunt, an ſatis eſt *opinari*, fieri potuiſſe, ut Mundus non fuerit recens creatus, ſed ex diluviiis enataverit? Adamuſque non fuerit parens primus, ſed poſt naufragium humanæ ſtirpis reparator? qua *naturalis convenientiæ opinandi vi* credendum nobis erit, ſi res ita ſeſe habuiſſet, ut hic Gallus-Perſa ſcribit, univerſam traditionem debuiſſe contrarium aſſerere, Hiſtoricoſque, qui de Diluvio verba fecerunt, quo tempore accidit, noluiſse de alluvione illa loqui, quæ primi parentis ætate contigit; ſed ei temporis puncto illos creationem mundi affixiſse? Quamquam conficta hæc tam crebra diluvia eſse non poterant, niſi in quibuſdam peculiaribus regionibus: (quoniam univerſale diluvium juxta naturæ ordinem dari non poteſt; ac proinde *non convenit naturæ opinari*, multoque minus credere, hæc infortunia ſæpius eveniſse) atque ideo non debuiſset inter has calamitates cerni humana enaſcens natura, quo modo eam nobis Hiſtorici deſcribunt. Elapſi ex his infortuniis confugiſsent ad nationes incolumes, aut harum coloniæ, alluvione jam exſiccata, occupaſsent deſertas terras. Hinc & ſervatæ, & amplificatæ fuiſsent artes, & diſci-

ſciplinæ, quod & res, & experientia non evenisse confirmant; neque umquam in eam infantiam primam prolapſus fuiſset mundus, in qua verſatum fuiſse Scriptores omnes, ipſo hoc fictitio Perſa fatente, narrant.

§. VII.

Alia ejuſdem objectio jam refutata a D. Thoma.

Videt, vel me tacente, ſapiens lector, hujus ratiocinii robur, quod multis argumentis, ex Hiſtoria, & monumentis, quæ habemus, deductis, poſſet uberius confirmari: quod feciſſe ſcimus quoſdam egregios viros, qui ſummo ſtudio materiam hanc pertractarunt. Sed non opus eſt diutius hic immorari; immo remur, Epiſtolarum Perſicarum Scriptorem, qui ſe acuti ingenii virum jactabat, numquam repoſiturum fuiſſe has recoctas crambes, niſi hac ratione viam ſibi ſternere intendiſſet ad Metaphyſicum argumentum, vere Achilleum, & quod nobis terrificæ demonſtrationis inſtar objicit. En illud. *Qui norunt naturam, quique de Deo ſatis claram notionem habent, poſſuntne concipere materiam, & res creatas non fuiſſe niſi ab hinc ſex mille annis? Demum diſtuliſſe per totam æternitatem promere potentiam ſuam? & ab heſterno die tantummodo uti voluiſſe omnipotentia ſua in rerum creatione?* Niſi harum interrogationum pondere preſſus manus das

das, & fateris perterritus, neque Moysem, neque Hebræos, neque Christianos omnes *novisse naturam*, *neque satis claram de Deo notionem habuisse*, cum putarunt, mundum creatum fuisse ab hinc sex mille annis tantum, en quomodo te urget dilemmate hocce; *An forsitan id factum est, propterea quod ille* (Deus) *aut non potuerit, aut noluerit?* Hinc nullum effugium: *atqui si non potuit uno tempore, ne alio quidem potuit: ergo noluit. Sed quoniam in Deo nulla est successio; si demus, eum semel aliquid voluisse, usque ab initio voluit*. Pergamus ad illationem. *Ergo non debent anni Mundi numerari; numerus granorum arenæ maris nequit cum illis magis conferri, quam temporis momentum*.

Sermo hujusmodi per dilemma allatus, animo vultuque tam elato *a Scriptore primæ classis*, qualis habebatur harum Epistolarum auctor, in spem triumphi Libertinos erigit. Enimvero fictus *Telliamedus Indus Philosophus* (siquidem more hodierno hostes religionis in scenam prodeunt ementito nomine *Persarum*, *Judæorum*, *Indorum*, *Thracum*) bonus hunc sermonem devorat, eumque producit voluti rationis fulgur, quo omnia argumenta contra mundi æternitatem tamquam tenues nubes dissipentur. Tamen hoc est nullius ponderis sophisma, quod jam ab annis quingentis sibi iisdem pene verbis proposuit D. Thomas Aquinas, & nullo labore difflavit *Lib.II. contr. Gent. c.32*. Vide qua facilitate. Æterna, infinita-

nitaque est in Deo potentia; æterna, immutabilisque est voluntas; num idcirco debuit ab æterno esse mundus? Nequaquam. Deus enim ab æternitate usque voluit, ut mundus esset; sed voluit, ut non esset ab æternitate; voluit, ut inciperet ab hinc annis sex mille; quapropter antea incipere non debuit. Igitur quin Deus potentiam suam amiserit, quin voluntatem mutarit, quinimmo, ut perficeret voluntatem suam omnipotentem, & immutabilem, in tempore, non ab æternitate creatus mundus fuit; propterea quod ab æternitate Deus voluit, ut tunc inciperet. Poteſtne huic responso quicquam reponi? Liceat nunc mihi iis, qui suspic iunt Heroas istos, aliud dilemma proponere. Aut Philosophi hi Persæ, & Indi non detexere sophisma in suo sermone latens, aut detegere illud noluerunt; si non detexerunt, ubi sunt illi *ingeniosi viri* tanto acumine præditi, sicut sese mutuo per excellentiam vocitant? si detexerunt, ubi sunt illi *viri honesti*? Neque quispiam mihi dicat, in hujusmodi opera introduci Judæos, Persas, Indos secundum sua principia loquentes: ergo enim respondeo de Religione numquam disserendum esse a probo viro per jocum, & comice; & quicumque probus est, numquam debere fingere Thracem, aut Hebræum de rebus impiis, & obscœnis loquentes, quibus hujusmodi liberculi scatent, obsonium proinde Libertinorum palato gratissimum. Industrius scriptor, cujus specimen inscriptum: *Les lettres Per-*

Persannes convaincues d' impietè : habemus, inquit (dans l' Avertissement) *eos, qui aliquid sciunt . . . non esse monendos, Persam loquentem esse Gallum satis notum, qui quod ipse de Religione sentit, fingit effutire Persam*. Hoc idem dici posset de quibusdam aliis auctoribus hoc modo personatis. Nuper tamen traditum memoriæ fuit, fictum Persam jam cum inibi esset, ut migraret e vivis, nervos intendisse omnes, ut Christiano, non Persarum more decederet. Quod argumento est, hos *Spiritus fortes* in iis anfractibus & animis cadere, & systematum oblivisci. Faxit Deus, ut vere resipuerit, & nunc pace perfruatur.

§. VIII.

Spinosæ Systema.

SED monet nos tempus, ut omnium opinionum contra Summi verique Dei tanta evidentia, & certitudine a rebus cunctis nobis demonstrati existentiam, monstrosissimam exponamus. Benedictus Spinosa origine Judæus, impie vita functus, est Heros ille, qui fertur Atheismum ad methodum redegisse, quia revera in sua Ethica Geometrica methodo non minus fatuam, stolidamque, quam infandam impietatem concinnavit. Fideliter referam ejus sententias extractas ab eodem opere, quod post ejus fata lucem aspexit. In rerum natura unam tantum, individuamque substantiam, &

hanc prӕditam infinitis attributis, inter quӕ recenſetur prӕcipue extenſio, & cogitatio, eſſe ſentit. Omnia corpora, quӕ in hoc univerſo videmus, ſunt formӕ, ſeu modificationes hujus unius ſubſtantiӕ, quatenus eſt extenſa: omnes mentes ſunt modificationes hujus unius ſubſtantiӕ, quatenus cogitat: & hӕc una ſubſtantia cogitans ſimul, & extenſa, quӕ ӕterna, neceſſaria, & perenni actione generat complectiturque omnia hӕc corpora, cunctas has mentes, totumque, ut ſummatim dicam, Univerſum, Deus eſt. Ecce paucis *Pantheiſmus* ille, ſcilicet error, qui non ſecernit Deum O.M. ab hac Mundi machina. Error, qui fortaſſe fuit antiquorum quorumdam (quod eorum verba videntur ſignificare) ſed qui ab impio *Recutito*, de quo loquimur, totius veneni ſui vi infectus licet ambiguis vocibus involutus, obſcuriſque dicendi modis in aciem productus fuit. Nos ejus falſitatem deprehendemus, primum quaſdam abſurdarum illationum, quӕ ex eo conſequuntur, afferentes; deinde indigitabimus falſa principia, a quibus ſtabilitur.

§. IX.

Abſurda, quӕ ex eodem derivantur, quoad Deum.

Et quidem quoad primas. Niſi Spinoſa Dei nomen ficte uſurpat & captioſe, ut Atheiſmum tegat, quӕ dici poſſunt magis adver-

versantia notioni illius Entis supremi, quam eum simul cum Universo confundere, eumque receptaculum, & complexum omnium corporum, omnium spirituum, omniumque utrorumque affectionum efficere? esset ille Beatissimus (ut creditur esse Ens summe perfectum) simulque omnium miseriarum domicilium; sanctissimus, simulque centrum omnium scelerum; immutabilis, eodemque tempore omnibus mutationibus obnoxius; ille unus, simulque in tot partes discerptus, in quot dividitur, immo dividi extensio potest, quæ ex sententia hujus impii, est essentiale attributum divinæ naturæ; esset ipse simplicissimus, simulque compositus ex omnibus membris, omnibusque corporibus, quæ molem hanc constituunt. Illationes hæ perversæ, & summopere in Deum injuriæ necessario derivantur ex Spinosiano systemate, immo ex iis duabus propositionibus. *Præter Deum nulla dari, neque concepi potest substantia. (Ethic. part. 1. prop. 14.) Et quidquid est, in Deo est, & nihil sine Deo esse, neque concipi potest. (ib. prop. 15.)* Non jam eo in intellectu, quo Deus est causa omnium rerum creatrix, sed quo est principium internum, substantiale, & quod rem quamlibet constituit, ut in credita demonstratione allatæ secundæ propositionis impius Apella clare loquitur. Jam quisnam Deus est iste tot contradictionibus adeo secum invicem pugnantibus obnoxius? Quid plura? Deus sententia ipsius Spinosæ Ethic. P. 1. Definit. 6. *est substantia constans infinitis attributis,*

 & om-

& omnium bonorum cumulo. Debet ergo esse sapiens, liber, supremusque rerum omnium rector. Atqui id totum Deo detrahitur in hoc systemate.(in Appendice ad 1.Part.p.34.) cum *a natura finales causæ tollantur*, cum dicatur *Deus in suis operibus nullum sibi finem* proponere; ipsum *non creasse oculos, ut videant, non dentes, ut mandant, non solem, ut illuminet*; *sed omnia* (Propos.29.) *invincibili necessitate a divina natura determinari, ut existant, & hoc modo operentur: Deum non esse causam, sed agere ex necessitate naturæ*; *resque non potuisse a Deo produci neque alio modo, neque alio ordine disponi, ac productæ sunt, dispositæque*. Jam subtrahere a Deo sapientiam, libertatem, providentiam, eumque concipere temere agentem sine delectu, sine proposito fine animali, cæco insuperabili impetu, aut impulsu naturæ, est auferre substantiæ illi, quæ juxta ejusdem Spinosæ definitionem *habere debet infinita attributa*, vel ut alibi asserit Epist. 20. *debet omnia bona in se complecti*, est, inquam, auferre essentialia attributa, & bona maxime necessaria, uno verbo, & Deum ipsum de medio tollere. Illa ergo dicit, quæ Dei notioni repugnant, & tot verborum involucris purum, putumque Atheismum tegit. Cum non possit ergo cum hac rerum farragine conjungi, & componi, (ut modo ostendimus) natura, & Dei essentia, sequitur, in Spinosæ systemate subsistere Mundum cum omnibus partibus, ex quibus constat, per se, sine *adæquata causa*, quæ illum

illum crearit, diſponat, & moveat; quod capite proxime præcedenti fieri non poſse, & repugnare demonſtravimus.

§. X.

Alia abſurda Spinoſiani ſyſtematis.

ALiæ apertæ contradictiones in hujus impii ſyſtemate latentes a doctiſſimis viris deprehenſæ ſunt, oſtenſæque, quæ revera ita claræ ſunt, ut vel cæcus eas videat. Illæ ſunt ejuſmodi, I. præditam eſse hanc ſubſtantiam attributis eſsentialibus *extenſionis* ſimul, & *cogitationis*; quæ duæ diverſæ *affectiones* adeo differunt, minuſque *componi* ſimul, & *eſſe* in eadem ſubſtantia poſsunt, ut citius cera & rotundam, & triangularem figuram ſimul habere poſſit, ut capite mox ſequenti demonſtrabimus. II. eſse hanc Spinoſianam ſubſtantiam *unam, & individuam*; nihilo tamen ſecius eſse *extenſam*: quod tantum repugnat, quantum repugnat unum, & idem poſse dividi, & non poſ. ſe dividi. Jam patet, ſubſtantiam extenſam debere habere partes; & quod componitur ex partibus extenſis in partes ſuas ſecari poteſt, & ſingulæ harum ſecatarum partium ſubſtantiæ ſunt a ſe invicem diſtinctæ. Quod argumentum a Bælio (*Diction. Hiſtor. art. Spinoſa Rem. N.*) præcipue examinatur quocumque ſub aſpectu, & in Spinoſam jacitur impetu tanto, ut refelli non poſſit. III. Mundum, omneſque ejus par-

tes, ordinem etiam, motumque earum existere (in hypothesi Spinosiana) necessario, ita ut nec posset esse aliter, idque ex necessitate invicta, & absoluta; quod falsissimum est. Patet enim concipi posse corpora & in motu, & in quiete, Planetas hoc, & alio ordine dispositos, majorem, minoremve stellarum numerum; immo totam molem hanc simul existentem, & non existentem; qui conceptus (posita mundi, ordinisque, qui in ipso cernitur, existentia necessaria) tantum abest, ut concipi possint, quantum abest, ut triangulum rotundum possimus concipere. Hoc etiam argumentum, quod quidem est evidentissimum, contra *fati necessitatem* ab hoc impio, omnibusque Atheis creditam videre poteris vehementissime agitatum a Samuele Clarchio, *De l'existence de Dieu Tom.* 1. *chap.* 4. qui ex hac parte Spinosam est aggressus. Quamvis jam (ut advertit modo prædictus Auctor) satis confutata dicenda est sententia illa, ex qua demonstratum est, necessaria consequutione repugnantes illationes derivari, ac proinde cum ex hactenus dictis labefactata omnino eversaque Spinosiana impietas sit, tamen me operæ pretium facturum duco, si cominus, & coram Libertinum hunc invasero, & evidenter demonstravero falsitatem, & insaniam eorum principiorum, quibus horrendus ejus *Pantheismus* totus innititur.

§.XI.

§. XI.

Refellitur Spinosa ex suismet ipsius principiis: fundamentum totius systematis ab ambiguis vocibus extricatum, ostensumque laborare vitio petitionis principii.

JAcit Spinosa fundamentum totius systematis definitionem non solum obscurissimam, verum etiam dolose ambiguam, & ex ea erecta ab illo præcipua theoremata sunt omnia captiosa, & proinde per se ipsa corruunt. Rem jam aggrediamur.

Ejus præcipua definitio est definitio substantiæ his concepta verbis: *Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur: hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* (Ethic. Part. I Definit. 3.) Modus hic definiendi estne ex more Geometrico adeo in hoc libro ostentato? At Spinosa id dolo malo egit, ut deciperet Lectorem incautum, tegeretque his ambiguorum verborum involucris venenatam totius systematis radicem. Quæso, accurate advertite. Cum ille definit substantiam esse id, *quod est in se*, duplicem significationem hæc verba habere possunt. I. id, *quod est in se*, hoc est, quod *est ex se*, exclusa causa, quæ illud producat: II. id *quod est in se*, id est, *quod est per se ipsum*, excluso *subjecto*, quod illud susten-

sustentet. *Modi*, ut exempli gratia esset motus, figura, & alii tales, non existunt *ex se*, quoniam indigent causa, a qua producantur: sed neque existunt *per se*; requirunt enim subjectum, quo inhæreant, ut pila. Ens autem perfectissimum existit *per se*, *&* *ex se*; Non enim indiget subjecto, a quo sustentetur, sed ne habere quidem causam potest, a qua producatur. Equus *per se* existit, cum nullo subjecto *inhæreat*; at non existit *ex se*, cum habuerit causam, a qua fuit productus. Spinosa substantiam definiens, præter morem omnium scholarum eam definientium *id*, *quod per se existit*, ad differentiam modorum, *qui in aliis tamquam in subjecto existunt*, usus est ambigua dictione existit *in se*. Nos hic ab eo petimus; aut ille hoc verbo intelligit, proprium esse generatim substantiæ *existere ex se ipsa*, amandata causa, quæ illam producat, aut esse generatim substantiæ proprium *existere per se ipsam*, amandato subjecto, quo *inhæreat*, ut est proprium modorum? Nihil hic est medii. Si secundum intellectum amplectitur, qui est ille, quo omnes concipiunt generice substantiam, sapit, & id quod verum est, asserit; sed evertitur funditus totus quantus est ejus liber, ejusque *Pantheismus*; ex eo enim, quod proprium est substantiæ *existere per se ipsam*, & non inhærere in subjecto, nulla illarum illationum, quas ille deducit, consequitur. Si vero intellectum primum amplectitur, vultque, proprium esse substantiæ generice *existere ex se ipsa*, exclusa causa,

ſa, quæ illam producat, non recte judicat, enuntiatque quod falſum eſt, illudque aſſerit quod omnes negent, illudque dicit, quod nuſquam in libro ſuo probavit: jacitque tanquam fundamentum ſtabile ſuarum propoſitionum id, quod eſt hujus contentionis ſeges. Tranſeamus ad alias definitionis partes, & præeunte allatæ diſtinctionis face, illius fraudem detegemus. *Per ſubſtantiam intelligo id, quod in ſe eſt*, additque, *& per ſe concipitur*. Si credit Spinoſa, ſubſtantiæ conceptum eſſe tam abſolutum, ut nullam importet relationem cum ſubjecto, quod eam ſuſtineat, ut motus eam importat ad mobile, rotunditas ad ceram, vere ſentit, ſed hoc nihil *Pantheiſmo* opitulatur: ſi vult, conceptum ſubſtantiæ ita eſſe abſolutum, ut a ſe removeat quamcumque relationem ad cauſam, quæ illam producat, falſum effutit, quod numquam eſt probaturus. Idem dicendum eſt de aliis verbis, quæ ſequuntur, quæ impius Apella addit explicaturus allatam ſubſtantiæ definitionem; *hoc eſt, ſubſtantia eſt id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat*. Si ſignificare vult, in conceptu unius ſubſtantiæ non opus eſſe, ut includatur conceptus alterius ſubſtantiæ, quo illa tamquam in ſubjecto ſuæ ſubſiſtentiæ inhæreat, id illi concedimus; at hoc nil valet ad inferendas ſuas illationes. Si ſignificare vult, conceptum ſubſtantiæ debere a ſe excludere relationem ad aliam ſubſtantiam, ad quam ipſa referatur veluti effectus ad cauſam, id negamus, neque

ille umquam id probabit. Vafer tamen Hebræus hunc alterum intellectum in mente habebat; ex ipſo enim uno poterat derivare totum ſuum *Pantheiſticum* ſyſtema; volebatque in ea definitione includere tamquam fundamentum id, quod erat totius controverſiæ caput; hoc eſt, eſſe de eſſentia ſubſtantiæ, ut *exiſtat ex ſe*, excluſa quacumque cauſa, neque poſſe umquam concipi in ſubſtantia una relationem effectus ad ſubſtantiam aliam, tamquam ad cauſam ipſius procreatricem.

§. XII.

Alia argumenta circuli vitioſi, unde hujus impii corruit ædificium. Advertuntur quædam de Spinoſæ aſſeclis.

Atque hoc intendiſſe Spinoſam; quod tamen ab eo numquam probatum fuit (hoc tamen erat Theorema, quod demonſtrare debebat) patefacimus ad trutinam revocantes duas tantum ex ejus præcipuis propoſitionibus, quæ dici poſſunt fundamenta collabentis ædificii. Prima ſit hæc (Corol. Prop.6.) *Hinc ſequitur ſubſtantiam ab alio produci non poſſe*. At qui hanc propoſitionem demonſtrat? ita: *demonſtratur etiam facilius ex abſurdo contradictorio. Nam ſi ſubſtantia poſſet produci ab alio, ejus cognitio a cognitione ſuæ cauſæ deberet pendere* (per Axioma 4.) *adeoque* (per Definit.3.) *non eſſet ſubſtantia*. Videt, vel me tacente Lector,

quo

quo impius spectarit: tamen ut id clarius evadat, efformemus integrum illius syllogismum. *Si una substantia posset produci ab alio, cognitio illius deberet pendere a cognitione suæ causæ* (*per Axioma* 4.) *Atqui cognitio substantiæ non potest pendere a cognitione alterius* (*per Defin.*3.) *ergo substantia non potest produci ab alio*. Mittamus nunc propositionem, quæ dicitur a Scholis *Major*, de qua possemus aliquid dicere: non enim semper cognitio effectus pendet a cognitione causæ, sed solum cum consideratur, ut effectus. Veniamus ad assumptionem, quam dicunt *Minorem*, quam ut probet, confugit ad substantiæ definitionem: luce ergo clarius est, in ea definitione intendisse Spinosam, substantiam esse *ens ex se* excludens relationem ad aliud ut *causam*, cujus ope possit cognosci; namque definitio substantiæ in hoc uno sensu, potest probare illam assumptionem. Atqui repono ego hæc substantiæ notio est falsa, nec umquam a Spinosa confirmata fuit; labatur ergo, oportet, credita demonstratio illi innixa, & proinde corruit Theorema, *substantiam non posse ab alio produci*. Erit fortasse qui dicat, hanc substantiæ notam, ut sit *ex se subsistens* (quam quidem notam a Spinosa in celebri sua definitione eidem substantiæ adscribi, nemo inficias iverit) ab eo probari in propositione, quæ continuo subsequitur, quæ talis est: (prop.7.) *ad naturam substantiæ pertinet existere*. Euge, at inquio ego, quænam est hujus propositionis confirmatio? propositio proxime præcedens. En ver-

verba illius demonſtrationis : (Demonſtratio) *ſubſtantia non poteſt produci ab alio* (per Corol. Propoſit. præced.) *erit itaque cauſa ſui , ideſt ipſius eſſentia involvit neceſſario exiſtentiam , ſive ad ejus naturam pertinet exiſtere .* Q. E. D. Eſtne magnum quid, deprehendere hic latitantem *circulum illum vitioſum* , ſeu illam *principii petitionem* , quod eſt unum ex ineptiſſimis , maximeque pudendis ſophiſmatibus ? Probat Judæus in propoſitione ſeptima *pertinere ad ſubſtantiam exiſtentiam* ; qua de cauſa ? *quia ſubſtantia non poteſt produci ab alio* (per Corol. Propoſ.6.) . At qui probat , *ſubſtantiam non poſſe produci ab alio? quia ſubſtantia exiſtit in ſe,* hoc eſt *ex ſe ipſa* (per definit.) Ergo tamquam argumentum ſumit id , quod eſt in quæſtione , five probat propoſitionem eadem propoſitione : eſt enim unum , idemque dicere *eſſe de eſſentia ſubſtantiæ , ut exiſtat* , ac dicere *ſubſtantia ex ſe exiſtit* . Hoc eſt ſophiſma illud , quod dicitur *petitio principii* , nihilque probat . Spinoſianus Pantheiſmus igitur probatus hoc ſophiſmate per ſe corruit .

Jactabundi ergo , tumenteſque Spinoſiſtæ librum ſui Præceptoris ſtrictim , Geometricaque methodo conſcriptum pro Pantheiſmo nobis objiciant . Dicant , *hanc ſubſtantiam* , quæ ejus ſententia nil aliud eſt , quam hoc univerſum , per eum demonſtrari , non fuiſſe creatam , eſſe infinitam , individuam , unam , æternam , & quidquid iis lubedit . Concedemus has omnes illationes unas ex aliis recte , feliciter-
que

que deduci: (de qua tamen re possent multa, immo plurima dici, cum in ejus libro passim offendantur puerilia, & turpia sophismata; quod posset clare ostendi si ad severam trutinam tota hujus impii Ethica revocaretur:) quia tamen omnes hæ illationes innituntur fundamento, quod est caput ipsum quæstionis, supponuntque tamquam verum, quod est falsissimum, neque umquam probatum fuit, nec vero probabitur umquam, ideo omnes collabuntur. Quare Spinosæ liber nihil est aliud nisi farrago sophismatum deductorum horum ab illis geometrica methodo, qui hæc duo tantum geometrice demonstrat, hoc est dolosam Auctoris impietatem, nimiamque suorum asseclarum credulitatem.

Verum qua de causa, inquiet aliquis, systema, quod continet illationes tam absurdas, ut supra vidimus, quod scatet tam falsis propositionibus, quod innititur principiis tam male jactis, non modo ab omnibus non contemptui haberi, verum etiam plausu excipi, ut nostris temporibus quoque quosdam audias loquentes de illo tamquam mysteria continente, & interdum etiam affirmantes, Spinosam Atheismum in systema redegisse; neque quemquam hactenus repertum fuisse, qui illud collato pede, æquisque armis aggrederetur? Nemo mirabitur, cum sciat, Libertinos quodlibet ineptum sophisma, dumodo sibi faveat, approbare, advertatque, tenebras, quibus impius Scriptor errores suos cooperuit, involvitque, nimis obduxisse

xisse infandum horrorem illudque virus, quod communis sensus cane pejus, & angue odisset. Nullus ex acutissimis, subtilissimisque scholasticus est, in cujus opere tot ambages, tanta caligo sint; nec sophista ullus ex ingeniosissimis, qui tot ambiguas voces, tot fallacium ratiociniorum quasi anfractus adhibuerit, ut deciperet, quot in Spinosæ libro offendis. Mihi tamen persuadeo, nostrorum Libertinorum paucissimos (quod genus hominum ut plurimum effœminatum est, & molle, amantiusque Cantiuncularum, quam Theorematum) legisse, meditatosque hujus impii Ethicam fuisse; minimumque esse etiam eorum numerum, qui possint illius sophismata detegere. Restrictior tamen methodus geometrica (quæ fuit altera Spinosæ versutia) qua compositum librum vident, agmen illud definitionum, axiomatum, demonstrationum, citationum inter se colligatarum, quæ omnia illi specie tenus respiciunt, quin vim pensitent, iis perstringunt oculos, habentque attonitos; & quamvis nihil intelligunt, sibi tamen persuadent, Spinosam quæ scripsit intellexisse, illisque tribus litteris Q. E. D. ad calcem suarum creditarum demonstrationum adjectis, Deum æque ac Religionem evertisse.

Ceterum viri doctissimi plurium nationum, diversarum sectarum confutarunt Spinosianum Atheismum, hi quidem ex una parte, ex alia alii eum aggressi, quorum nomina apud Joannem Albertum Fabricium (*de Veritate Relig. Christ. c.13.*) leges; quosdam pos quo-

que

que ſupra memoravimus, quibus addere placet eximium P. Lamium ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri (*Nouvel Athëiſme renversè, ou refutation du ſyſteme de Spinoſa*) qui in fine proximi elapſi ſæculi ſtrenue diruit novum hunc Atheiſmum opere ad hoc compoſito: & inter recentiſsimos memoramus doctiſſimum P. Gerdilum ordinis S. Pauli Decollati, qui poſt Jaquelotium, Budæum, Heineccium, alioſque, attentius examinavit radicem Spinoſiani ſyſtematis, quæ eſt definitio ſubſtantiæ a nobis quoque ſuperius diſcuſſa, evulſaque. Hac una ratione duximus eſſe inſtituti hujus operis impium e fronte urgere, fatentes ceteroquin, poſſe eum confutari innumeris aliis modis, examinando nimirum ſingula ejus Theoremata, oſtendendo illationum falſitatem, neque raro deductas illationes ſecum minime convenire.

§. XIII.

Objectiones noviſſime propoſitæ in Anglia contra argumentum pro exiſtentia Dei allatum capite ſuperiori examinatæ, ſolutæque.

HÆC nobis ſcribentibus incidit in manus Tom. XLVIII. *Biblioteque Raiſonnèe*, opus, in quo paſſim magno cum animi dolore legimus in compendium redactum quidquid mali, impiique contra Religionem, & diſciplinam

nam quotidie ultra montes editur. In secunda parte igitur hujusce voluminis refertur liber Londini editus; qui titulum præsefert *Reflexions Critiques sur divers sujets. Vol.8. Londres* 1751. Credit Auctor, argumentum Dei existentiæ a nobis hactenus agitatum ab existentia, magnitudine, pulchritudine, ordine, motuque hujus universi desumptum, quod omnibus sæculis, & ab omnibus doctissimis viris judicatum fuit quam ab omnibus conspectum, tam invictum, per quod quisque hanc veritatem agnosceret, esse *populare*, aptum ad rudes homines convincendos, at non Philosophum. Ipse infirmum, sophisticum, fallax illud putat, intueturque cœlum, terram, animalia, plantasque, quin in iis vestigium ullum reperiat illius sapientissimi, & omnipotentis artificis, quem omnes homines sunt semper in illis intuiti. *Considerans* (inquit Scriptor hic) *propius argumentum hoc, credidi in eo detegere, eos defectus, quos adverto; quodque in eo animadverti, me jure edere posse existimavi. Numquam in ea fui opinione, ut crederem, argumentum hoc, quod existentiam Dei probare dicitur, & hanc vim quidam illi tribuunt, ideo ducendum esse sanctius, minusque examini, discussionique subjiciendum.* Egregie quidem. Hæc enimvero est ætas, qua & pulchra producuntur inventa, & præjudicia eliminantur. Audiamus ergo hominem hunc libere cogitantem, & quid detexit de omnium errore quoad nostrum argumentum. Argumentum hoc,

hoc, inquit ille, nos ingratiis noſtris impellit ad progreſſum abſurdum in infinitum; probantes enim ab exiſtentia, & concentu hujus Mundi exiſtentiam ipſius auctoris, interrogabimur, quiſnam ſit auctor hujus auctoris, atque ita deinceps uſque ad infinitum. *Ego* (ſunt hæc ipſius verba ibid. p.272.) *initio ſtatim in magnis verſabar anguſtiis, ut ſcirem, quiſnam potuiſſet creare Mundum tam bene diſpoſitum, rerumque admirabilium plenum. Ut me ex hac difficultate ſubducerem, in majorem me projeciſtis, id eſt, ut ſcirem, unde eſſe potuerit excellentiſſimus auctor, accuratus artifex, qui totum id produxit. Non una me modo difficultas urget, ſed duæ, & altera prima major.* O ingenium vere magnum, cui ſuboriri poſſunt hujuſmodi cogitationes, quodque his difficultatibus ad incitas redigitur! *Cum per mundi hujus contemplationem perveni ad detegendum excellentiſſimum Auctorem, & accuratum artificem hujus* mundi, vidi *Ens infinitum* virtute, & ideo natura; ac prinde Ens liberum, habenſque in ſe *adæquatam rationem ſuæ* exiſtentiæ. Hoc Ens neceſſario eſt *Unum*, ut oſtendimus, neque, niſi ab amente duo concepi poſſunt: Ergo in ipſo inquiſitionum mearum eſt terminus, & evidenter cerno fieri non poſſe, ut ultra illud progrediar. (Vid. D. Thomam *lib.* 1. *cont. Gent. c.XV.* En anguſtias apertas, en difficultatem ſublatam. At alteram objectionem audiamus.

Nos (inquit Anglus Scriptor ib. p.275.) *non*

non cognoscimus nisi exiguam mundi partem. Jam nonne est absurdum credere, partem tam parvam posse fundamento esse systematis, quod debet rationem reddere Principii rerum omnium, quæ sunt? Hæc est difficultas nisi prima pejor, saltem æque ac prima inepta. Vilissimum quodque insectum, nedum hactenus cognitus orbis, satis superque nobis demonstrat existentiam Entis necessarii, sapientissimi, omnipotentis, quod omnia creavit. Cognitio, esse alias plagas, alias res, alias qualitates in hoc mundo nobis ignotas, nos impellit ad fatendum, esse alia clara argumenta Dei existentiæ, qui unus potest nos docere, cur illæ res sint. Ut autem scientiarum, & artium progressu quotidie magis deteguntur hæ plagæ, & phænomena, clarior apparet eorum audacia, qui negant per harum rerum existentiam, Deum tamquam sapientissimum earum auctorem posse cognosci.

At videamus, quanta sit tertiæ objectionis vis. *Fieri non potest, ut hujus Mundi dispositio quicquam probet, nisi ope Metaphysices probetur, principium existentiæ esse agens, esse ens intelligens, & existens ex seipso.* Ibid.p.276. At qui ita scribit, ostendit nullum sibi præsidium a Metaphysica, & a Logica suppeditatum fuisse, sed perturbatas, confusasque notiones tantum se in mente habere. Existentia primi entis probari non potest ea demonstratione, quæ gradum facit a causa ad effectum, diciturque a *priori*; *primæ* enim causæ causa nulla est; verum

rum poteſt probari, & reipſa probatur evidenter alia demonſtratione, per quam ex effectu cognoſcitur cauſa, diciturque a *poſteriori*. Pauca, ſed clariſſima S. Thomæ verba explicant hanc veritatem. Ea talia ſunt: *Duplex eſt demonſtratio, una quæ eſt per cauſam, & dicitur propter quid, & hæc eſt per priora ſimpliciter: alia eſt per effectum, & dicitur demonſtratio quia, & hæc eſt per ea, quæ ſunt priora quoad nos. Cum enim effectus aliquis nobis eſt manifeſtior, quam ſua cauſa, per effectum procedimus ad cognitionem cauſæ. Ex quolibet autem effectu poteſt demonſtrari propriam cauſam ejus eſſe, ſi tamen ejus effectus ſint magis noti quoad nos, quia cum effectus dependeant a cauſa, poſito effectu neceſſe eſt cauſam præexiſtere. Unde Deum eſſe ſecundum quod non eſt per ſe notum quoad nos, demonſtrabile eſt per effectus nobis notos.* 1.part. quæſt. art.2. Ex mundi ergo creatione conſiderata, & ex phænomenis, quæ in ipſo ſunt, repertis neceſſario connexis cum cauſa ſapientiſſima, potentiſsima, liberrima, ac propterea a materia prorſus diverſa, metaphyſicæ ope, quæ me hoc docet principium, *Nullam rem eſſe ſine adæquata ratione*, deduco, hanc ſapientiſsimam, liberrimam, omnipotentem, a corporeo Mundo diverſam, unicam veramque ejus exiſtentiæ, effectuumque in ipſo viſorum, cauſam exiſtere, & hanc eſſe Deum. Hos gradus tollere, & putare poſſe nos ſaltu ad *inviſibile, neque per ſe nobis cognitum Ens* aſcendere, diſtor-

ſtortæ Metaphyſicæ impetus hic eſt, taliſque videtur eſſe *Critici* noſtri Metaphyſica; & ut verius dicam, ſubdolum commentum eſt, ut vera via, quæ nos ad Deum ducit, intercludatur. Sed perpendamus poſtremam ejus objectionem, quæ, ut Bibliothecæ auctor ipſe teſtatur, negotium magnum Chriſtianis Philoſophis faceſsit, cuique objectioni, ut quidam opinantur, nondum factum eſt ſatis. *Novimuſne* (inquit Anglicus auctor ibid. p.277.) *ſatis rerum naturam, ut dijudicemus, Mundum non poſſe habere exiſtentiam, niſi eo modo, quo nos concipimus? Quis ſcit, num in Ente plurimi fontes ſint, quorum nos ne notionem quidem habeamus? Quis ſcit, num in ente ſint potentiæ aptæ ad producendos hos, illoſque effectus?* At reſpondeamus ad ſingulas invictiſsimi hujus Achillis partes. *Novimuſne ſatis rerum naturam, ut dijudicemus, Mundum non poſſe habere exiſtentiam niſi eo modo, quo nos concipimus?* Dico, nos eum cognoſcere, quantum ſatis eſt, ut certiſsime, & evidenter de hoc capite dijudicemus. Quidni? Materiam, motum, & ordinem in mundo videmus; ergo concludimus, Mundum hunc non potuiſse habere exiſtentiam niſi a principio ſumme potente, ſapiente, & libero. Materia, ex qua Mundus hic, quem videmus, conſtat, eſt iners, & æque ſe habet ad motum, & ad quietem; ergo principium hoc, a quo mundus exiſtentiam habuit, eſt a materia diverſum. Jam hoc principium a materia diverſum, quod eam moderatur,

ratur, quod potentia sua eam movet, suaque sapientia tot admirabilibus modis eam disponit, & in ordinem digerit, est illud ipsum, quod nos novimus, ac Deum nominamus. Nos ergo novimus satis rerum naturam, ut dijudicemus, mundum non posse habere existentiam nisi eo modo, quo a nobis concipitur, hoc est a solo Deo. Dicimus præterea: nos scimus, materiam, resque omnes, quæ hoc mundo continentur, ita existere, ut possent non existere: jam quidquid contingens est, indiget causa, quæ illud determinet, ut existat, potius quam ut non existat. Causa autem hæc debet certe existere necessitate naturæ, id est ex se ipsa existere; & hinc eam esse perfectissimam quovis bonorum genere, & hujusmodi esse Deum scimus. Novimus ergo invicta demonstratione, Mundum ex absoluta, & Metaphysica necessitate esse non posse, nisi per Deum.

At quis scit (pergit porro Philosophus) *num in ente plurimi fontes sint, quorum nos ne notionem quidem habeamus? Quis scit* (progreditur ulterius) *num in ente sint potentiæ aptæ ad producendos hos, illosque effectus?* O miserum Pyrrhonismum! Quis scit, repono ego, num in aere sint potentiæ, quæ ita mentes hominum perturbare possint, ut, quodam confecto itinere, videantur sibi vidisse, & fuisse in qua dam urbe, quæ appellatur Constantinopolis, de cujus existentia tam certi sumus, etiamsi ipsa revera non sit nisi conficta, & imagina-

ginaria? Respondeat quæso Philosophus noster huic, *quis scit*? experieturque, num ego semper retorquere sciam in eum argumentum, ita ut illum eo redacturus sim, ut vel confiteatur, se inepte dubitare, vel ut stupidus ceu Marpesia cautes obmutescat. At immorari piget tam levi comparatione. Scimus, & certissime scimus, in sinu Entis a Deo diversi, de quo adversarius loquitur, nec esse, nec vero esse posse istos fontes, has vires aptas ad producendos eos effectus, quos in mundo cernimus. Probet nobis censor id saltem fieri posse. Perscrutetur, ut lubet, materiam, & id totum, quod in hac mole oculis nostris objicitur, indigitetque nobis aliquod remotissimum vestigium potentiæ, visque, quæ sit apta ad creandam, disponendam, conservandamque hanc molem eo modo, quo eam videmus. Hoc est caput illud, in quo elaborandum esset totis viribus a Libertinis, non ut refarciant liberculos jocis, conviciis, fabulis in Religionem. Negamus aperte, & qua maxima possumus voce negamus, præter Deum esse, aut esse posse Mundi *adæquatam rationem*. Aventne ipsi tandem aliquando in hac causa referre triumphum? En modum; constituant sibi systema, quo, Deo prorsus amandato, explicetur, aut explicari possit, non dicam clare, sed utcumque ferenda hypothesi unum tantum phænomenum, verbi causa motus; nosque plaudentes eos audiemus, cedemusque causa. Sed cum ipsi fateantur, harum virium, horum

rum fontium ne *notionem* quidem ſe *habere*, noſque ex altera parte cum oſtendamus Principium, quod ſua potentia, ſapientia, libertate infinita *rationem adæquatam* hujuſce molis nobis ſuggerit; cumque hæc ipſa vaſtiſsima moles viceverſa ordine ſuo, pulchritudine, effectibuſque omnibus evidenter nobis demonſtret neceſsariam ſuam conjunctionem cum hujuſmodi principio; atque hinc cum validiſsime probetur ejus exiſtentia, interrogo, modo aliquid ſapiat, num quiſquam poſsit eſse, præter cæcum, & obſtinatum, qui hujuſmodi ſyſtema contemnere poſsit, ut amplectatur id cujus ne notionem quidem ullam ſe habere fatetur? Concedatur id quidem, dicet quiſpiam; viri ſanæ mentis, prudentiſque non ſit de impiis loqui: videmur tamen, nondum oſtendiſſe, fieri prorſus non poſse, ut *hi fontes*, *hæ potentiæ ſint in* rerum natura. *Præter corpora*, *& ſpiritus poſſunt eſſe* (inquit Cenſor noſter *ib. p.*278.) *alia entia*, *aliæque ſubſtantiarum ſpecies nobis ignotæ*. Probemus ergo fieri non poſſe, ut ex his fontibus potentiiſque moles hæc, quam videmus, derivetur.

Auditis, quæ huc uſque diximus, vir prudens, veritatiſque ſtudioſus hujuſmodi difficultatem non deberet proponere ſatis ſolutam allatis ſuperius argumentis. Tamen hoc quoque effugium intercludamus, concludamuſque argumentum. Ajo ergo, contendoque, fieri non poſſe, ut ſint in natura *vires fonteſque*, a quibus Mundus, præter Deum, poſsit eſſe,

& habere exiſtentiam. Audiant adverſarii, qua claritate id præſtem. Aut hæ vires diverſæ ſunt ab hoc mundo corporeo, aut ſunt *eædem* cum ipſo. Si dicuntur eædem cum mundo, dicitur id, quod dari nequit; materia enim cum ſit de eſſentia ſua ſtupida, & iners, in ipſa nequeunt eſſe vires, fonteſque illius opificii, in quo ineſt ordo, motuſque. Extenſio, & cogitatio ſunt affectiones magis oppoſitæ quam figura triangularis, & quadrata; ergo eædem ſimul eſſe non poſsunt in uno eodemque ſubjecto. Sin autem hæ vires dicantur a mundo corporeo diverſæ; tum urgeo, vel pendent ipſæ a principio ſuperiori, a quo regantur, vel non pendent; ſi pendent a principio, quod eas regat; ergo ipſæ non ſunt cauſæ primæ hujus mundi, ſed cauſa prima eſt illud principium: ſi vero liberæ ſunt ab eo principio, quod eas moderetur, res aſſeritur, quæ fieri nequit; quod probatur illationibus, quæ inde inferuntur. I. Mundi opificium eſt ſyſtema ita totum colligatum, ut quælibet pars etiam minima habeat fines ſuos relatos ad alias, illiſque qualitatibus ſit affecta, collocataque eo certo loco, motaque iis ſtatutis viribus, quæ omnia majori univerſi pulchritudini majorique emolumento, præcipue humani generis, conveniant. Si ſol, ut exemplo utar, eſset vel minor, vel a nobis remotior, tellus non ederet fruges, quibus aleremur; & ſi diverſis qualitatibus aut radii ſolares præditi eſſent, aut tellus, pateremur idem infortunium. Sublata Luna, aut ejus ſitu,

ſitu, & motu immutato, exſiccarentur maria, perirentque piſces. Solo æquatis montibus, nulla eſſent flumina; pereunte atmoſphæra, aut elaſticitate aeris pereunte, nos continuo intumeſceremus, & moreremur. Ut ſummatim dicam, totum hoc univerſum quacumque ex parte connexum & in ſingulis ſuis membris, & omnibus eorum affectionibus in unum conſpirantibus, aptiſque his ad illas cernimus; videmuſque eam *multiplicem unitatem*, quæ & pulchritudinem, & utilitatem parit. Eſt igitur mundus hic opus mentis, quæ uno intuitu omnia vidit, & ad finem unum omnia membra, parteſque creavit, diſpoſuit, colligavit. Si ſeparemus ergo has imaginarias *vires*, *hos fontes* ab hoc principio, quod eas, & hos moveat, componat, regatque, nihil aliud quam confuſionem perturbationemque cernemus; namque etiamſi fingere vellemus, ope harum virium conſtitutionem, diſpoſitionemque hujus, illiuſve partis haberi poſſe, harmonia tamen, unitaſque omnium harum partium inter ſe, niſi ſupremum Rectorem conſtituimus, numquam poſſet explicari. Multi e SS. Patribus, ut tuerentur contra Patronos Polytheiſmi Dei unitatem hoc eodem argumento ſunt uſi. Afferam Origenis verba l. 1. cont. Celſ. *Quanto præſtabilius eſt, ea credere, quæ perfecta hujus mundi harmonia credere nos jubet, unumque Mundi hujus, qui unus eſt, fabricatorem venerari? Fieri enim omnino nequit, ut tale opus, cujus partes tam apte inter ſe cohærent, & concinunt,*

ortum suum multis architectis debeat : quemadmodum incredibile est, ut cœli motus a multis animis dirigantur. Legi potest etiam D. Athanasius *lib.I. cont. gent.* II. Hæ *vires*, hi *fontes* diversa a mundo corporeo, quæque dicuntur hujus mundi causæ, necessario debent esse prædita sapientia, & potentia; cumque fingantur libera omnino a prima causa, seu principio, sequitur, ea ex se subsistere, & proinde esse necessaria, æterna, infinita. En ergo ab Atheis approbatum, quod approbare minime volebant, scilicet, *Ens a Mundo corporeo diversum, ex se subsistens, necessarium, æternum, sapiens, potens, infinitum*, hujus *molis principium*, quale nimirum nos dicimus *Deum* esse; ab ipsis tamen per errorem admissum: cum enim multiplicentur hæ vires, multiplicantur & entia ex se existentia, & infinita, quod omnino repugnat. Fieri ergo non potest, ut aut sint, aut esse possint *in entis sinu hæ vires, hi fontes*, cujuscumque naturæ fingantur esse, *quæ*, etiam Deo sublato, *possint esse hujus mundi causæ*. At quid his confutationibus immoramur diutius? Ad caput ipsum veniamus, urgeamusque adversarium intra vallum ipsum. Hoc ens, in cujus sinu opinatur Anglus Philosophus esse plurimas vires, plurimos fontes apta ad producendos hos illosque effectus, hoc ens, inquam, quod certe in ejus systemate nec est, nec potest esse diversum a materia, ex qua componitur Mundus, non existit jam ex se, non existit de essentia, non existit ex ne-

cef-

cessitate naturæ, ut sæpius probavimus supra. Hoc ergo *ens*, sive hæc materia indiget causa suprema a se diversa, ex se, & necessario existente, a qua acceperit eam existentiam, quam ex se ipsa non habet. Etiamsi ergo concederemus, in sinu hujus entis, aut materiæ esse eas vires, aut fontes, quorum ope Mundus hic fuisset dispositus ea ratione, eaque forma, qua est, nihilominus ex necessaria consequutione Deum ut supremam, primamque mundi caussam cognosci oporteret, cum ipse sit causa illius entis, in cujus sinu vires mundi creatrices finguntur. Motus ergo, ordo, dispositio, pulchritudo, cæteraque phænomena, quæ hactenus contemplati sumus, sunt, eruntque quovis tempore Dei existentiæ epidicticum argumentum: ab illo enim, & non aliunde proficisci debent, creatæ fuerunt, dispositæ, temperatæque illæ admirabiles vires, quarum unarum ope hoc universum existere quidam falso opinantur. Quod si ita est, videt quisque eversum esse παράδοξον illud *mysticum* Censoris, quod multorum verborum involucris, sententia ipsius *Bibliothecæ auctoris* nihil aliud quam purum, putumque Pantheismum, aut Spinosismum continet; an, inquam, etiam per has postremas animadversiones ad nihilum prorsus illud redactum; patefactosque simul malos istorum dolos, qui durissimo ore, verbisque mysteria involventibus solent producere in medium *magnam intrinsecam Archæam, Animam, aut vitam Mundi, Vulcanum, caloremque telluris*;

luris; quæ omnia verba idem ſonant ac intrinſeci *fontes*, *&* *vires*, quibus recentes Pantheiſtæ, ut eamdem impietatem, ſignificent, turpiter abutuntur. At hæc verba ſenſu prorſus ſunt vacua, iiſque notiones omnino repugnantes Spinoſiſtæ ſubjiciunt; neque alius quiſquam, quam contumaciſſimus, prorſuſve cæcus eas notiones univerſi cauſas poteſt credere, Deo O.M. a materia, mundoque diverſo prorſus, ſed materiæ mundique, & cujuſque rei auctore, & moderatore uno excluſo. Atque ita, niſi meus me fallit amor, ſolutæ ſunt omnes objectiones, quas contra evidens, invictumque argumentum Dei exiſtentiæ Anonymus Anglus Cenſor in lucem protulit. Eas proponere placuit, non quod ſuſpicaremur, poſſe eas claritatem noſtræ demonſtrationis apud ſanæ mentis homines quicquam imminuere; ſed ut quiſque hinc conjiceret, cujus vis ſint difficultates, quas hoc ſæculo, quo artes ſcientiæque adeo florent, contra fundamentum Religionis præcipuum, qui dicuntur *Spiritus fortes*, ſolent afferre.

FINIS.

DISSERTATIO

DE

RELIGIONE REVELATA

INDEX

QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM

PARS PRIMA.

PARS

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

DE

DE
RELIGIONE REVELATA
DISSERTATIO.

PARS PRIMA.

AMANTISSIMUS Creator noſter lumen ſui vultus ſe ſuper nos ſignaſſe non contentus, ut eum finem, ad quem nati ſumus, aſſequeremur, verbis quoque nos inſtruere voluit, atque per ea tum ad ſublimiora dirigere, quæ humana ratione aſſequi non poteramus, tum in iis, quæ humana ratione inveſtigantur, confirmare abſque periculo deceptionis. Noſtræ infirmitati hoc ſane modo providentiſſime beneficentiſſimeque conſuluit. Nam ultimum finem noſtrum in bono ſupernaturali, interminabili, infinito, atque ſupra creata omnia longe elevato poſitum, ſi ad animæ noſtræ capacitatem, deſideria, atque quietem ejus at-

 tenda-

tendamus, naturaliter quidem cognoſcimus; verum qua ratione ad eum pertingere, quo modo eum promerendo aſſequi poſſimus, quæ de Deo, quatenus in adeptionem hujus finis nos inducit, ſentire, quo amore eum proſequi, quibus ſervitutis officiis tum internis, tum externis gratiam illius promereri valeamus, ipſa ratione non attingimus. Deinde vero licet multa eorum, quæ ad Deum ipſum ſpectant, quæque a nobis, prout homines ſumus, ſervari debent, ipſo lumine naturaliter infuſo cognoſcamus; tamen hæc omnia, quæ tum ad Deum, tum ad nos ipſos pertinent, ſicuti omnium ſæculorum experientia compertum habemus, & poſt longum tempus, & a paucis, & cum admixtione multorum errorum cognoſcuntur. Quapropter Deus infirmitatem noſtram ſua maxima bonitate commiſeratus effecit per ſuum verbum, quod nobis per ſanctos Viros divinitus inſpiratos manifeſtavit, ut ad ea elevaremur, ad quæ noſtra cognitione non poteramus, & ut ſine periculo erroris in iis, quæ per lumen rationis aliquo modo noveramus, confirmaremur. Nam verbum divinitus inſpiratum illud eſt, quo de Divina natura, Diviniſque attributis, prout præſens noſtra conditio patitur, perfectiſſime inſtruimur, & aperte ſignificantur, quæ a nobis agenda ſunt, ut finem ſupernaturalem conſequamur. Eſt enim, uti ait S. Auguſtinus *Enarrat. in pſal.* 144. num. 17. *Quoddam chirographum Dei, quod omnes tranſeuntes legerent, & viam promiſſionis ejus tenerent.*

rent. De hoc profecto verbo divinitus inſpirato, nobiſque per ſanctos Viros cœlitus tradito, quo Deus noſtræ cœcitati ſumma benignitate, atque liberalitate providit, nunc contra Deiſtas diſputare inſtituimus, qui quidem, ut utar verbis ejuſdem S. Auguſtini lib. 10. *de Civitate Dei* cap. 30. num. 5., *neſcio qua incredibili animoſitate*, *ſeu cæcitate* non credunt ſacris litteris, *quæ jam veritatem ſuam orbi demonſtravere terrarum*, atque ſumma cum audacia, & perfidia pugnant *contra auctoritatem* (uti habet idem S. Doctor lib. 12. de Civitate Dei cap. 10. num. 2. *notiſſimorum Divinorumque librorum*, *quæ totum orbem ſibi crediturum eſſe prædixit*, *& cui totus orbis*, *ſicuti ab ea prædictum eſt*, *credidit*; *quæ vera ſe narraſſe præterita ex his*, *quæ futura prænunciavit*, *cum tanta veritate implentur*, *oſtendit*. Ut ergo de exiſtentia Divinæ Revelationis contra Deiſtas certius maniſeſtiuſque conſtet, in hac priori parte, de poſſibilitate, utilitate, & neceſſitate ejus, deque argumentis, quibus num aliqua revelatio revera Divina ſit, infallibiliter cognoſci poſſit, diſputabimus; in duobus autem ſequentibus quæ tum in Veteri, tum in Novo Teſtamento continentur, divinitus revelata eſſe, evincere conabimur.

Deiſtarum quadruplex eſſe genus, recte a Clarkio obſervatum fuit de *Religione Naturali*, *& Revelata* cap. 2. Primum eorum eſt, qui Dei providentiam vel quoad omnia, vel ſaltem quoad res humanas negant: unde quum

in præcipuo doctrinæ capite cum Epicureis conveniant, Athei dici revera possunt. Alterum genus constituitur ab iis; qui virtutem inter & vitium ex sui natura nullum discrimen interesse putant. Hi quoque Athei dici possunt, quia licet attributa physica Deo inesse concedant, moralibus tamen eum carere volunt. Ad tertium genus illi spectant, qui immortalitatem animæ, & alterum futuræ vitæ statum negant. Etiam isti Atheistis accenseri merito possunt, quia, quamvis attributa moralia Deo inesse concedant, tamen id negant, quod ex illis necessario consequitur. In quarto demum genere reponendi sunt, qui tum physica, tum moralia attributa Divinæ naturæ tribuunt, hominum erga Deum obligationes agnoscunt, alteramque vitam admittunt, in qua justi præmium consequantur, impii autem multa mala sustineant; sed omnem tamen Divinam Revelationem respuunt. Hos quoque Atheisticam impietatem redolere, ex eorum disputandi, scribendique ratione cognosci facile potest. Contra istos quarti generis Deistas præcipue disputare modo aggredimur.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Possibilitate, Utilitate, atque Necessitate Divinæ Revelationis.

EA revelari vulgo dicuntur, quæ secreta, atque abscondita sunt. Hinc si voce revelationis utamur in iis, quæ ad Religionem spectant, per eam quædam cognitio significatur, quam Deus tum sui, tum Divinæ suæ voluntatis hominibus præter eam dedit, quæ lumine rationis ab iisdem acquiritur.

Hinc est, ut per Divinam Revelationem non solum multa cognoscere possimus, quæ sunt supra rationem, sed ea quoque magis clare, atque distincte videre, quæ naturali ratione aliqua tantum ex parte novimus.

Qui Religionem Naturalem admittunt, illud quoque oportet, ut diligenter inquirant; num Deus nobis aliqua revelaverit. Nam qui admittit Deum existere, a quo vitam, & alia omnia receperit, nunquam quietus esse potest; quoadusque perspexerit voluntatem ipsius. Quum ergo naturali ratione hoc distincte assequi nemo possit, illud tantum superest, ut videat, num Deus per revelationem nobis aliqua de se ipso manifestaverit.

Quia vero, ut inquit S.Thomas 1.par.qu.1. art.8. ad 2. *Innititur fides nostra revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta*; ideo de priori Divinæ Revelationis genere disputare aggredimur.

Articulus I.

Num Divina Revelatio sit possibilis, atque credibilis.

Contra Religionem Revelatam Deistæ primo pugnant, quia eam & impossibilem, & incredibilem esse falso arbitrantur. Quapropter ut nos quoque hac primo in re eos refellamus, operæ pretium est.

Possibile autem id esse, quod si existere ponatur, nihil absurdi, nullaque contradictio consequitur, non est, cur moneamus, quum vel ipsi Philosophiæ tyrones hoc perspectum habeant.

Propositio. Divina Revelatio revera possibilis est, atque credibilis.

Prob. propositio. Si Divina Revelatio aliquam impossibilitatem in se haberet, hæc repetenda esset vel ex parte Dei, vel ex parte hominum; sed ex neutro capite repeti potest: ergo. Prob. mi. quoad priorem partem. Quia Deus est entium materialium supremus dominus, in aliquibus eorum tantam pulchritudinem superinducere potest, ut aliis omnibus longe nobiliora, atque perfectiora sint: ergo quum etiam in entia spiritualia idem dominium habeat, supernaturale lumen aliquibus eorum affundere potest, quo ea quoque videant, quæ sunt supra cognitionem naturalem: ergo nihil obstat, quin Deus creaturæ rationali multa revelare possit.

Neque

Neque etiam quoad homines Divina Revelatio repugnat. Nam ſicuti quæ diſcipulus per ſe cognoſcere non poteſt, non repugnat, ut magiſtri ope adjutus evidenter aſſequatur; ita ne repugnat quidem, ut quæ homo naturali ratione non cognoſcit, ſupremo Dei lumine adjutus aſſequatur.

Ex hiſce autem etiam altera pars propoſitionis demonſtratur; nam impoſſibilia etiam incredibilia ſunt: ceterum quæ tum ex parte Dei, tum ex parte hominum poſſibilia eſſe cognoſcimus, ut ea credamus virtute Dei in hominibus contingere non poſſe, nulla ratio patitur: ergo.

Dices I. Poſſibilia non ſunt, quæ inter ſe mutuo pugnant cum naturali ordine, quem conſtitutum videmus: ergo Divina Revelatio eſt impoſſibilis. Prob. mi. Divina Revelatione homines inſtruuntur præter regulas ordinis naturalis; eaque iis prodigiis innititur, quibus ideo fides præſtari non debet, quia præter naturæ ordinem contingunt: ergo.

R., Divinam Revelationem a conſueto ordine rerum differre, neminem in dubium revocare poſſe; verum inde non conſequitur, uti Deiſtæ vellent, cum eo ordine impoſſibile eſſe, ut revelatio uniatur, atque conſocietur. Etenim quam multa etiam in naturali ordine contingunt, quæ licet omnino diſſimilia, atque etiam diverſa inter ſe ſint, unum tamen ordinem componunt, quia ab eodem ſapientiſſimo principio dimanant? quam plura inuſitata, quo-

rum rationem vel ipsi sapientiores reddere nequeunt, & tamen ea nonnisi ab insipienti negari possunt? Ita quoque licet Divina Revelatio sit supra naturæ ordinem, cum eo conjungi potest, quia illi non opponitur, sed tantum efficit, ut Divinæ sapientiæ, & bonitatis erga nos argumenta clariora conspiciantur.

At rem istam accurate, quæso, expendamus. Qui negant possibilitatem Divinæ Revelationis, Sapientiam, Potentiam, atque Bonitatem in Deo inesse summam admittunt; verum quum in Divina Revelatione contineri nonnulla videant, quæ sunt præter naturæ ordinem, eam impossibilem esse, confidenter affirmant. Hinc fit, ut Dei Sapientiam, Potentiam, atque Bonitatem summam, & infinitam esse fateantur, & simul nihil aliud Deum posse velint, quam quod in hoc naturæ ordine continetur: ergo has Dei perfectiones infinitas simul, & finitas esse ponunt. Verum mirandum non est, si dum negant, quod possibile est, aperta contradictione implicentur. Ut ergo omnis hac de re tollatur ambiguitas, advertendum est, quæ sunt præter naturæ ordinem plurimum differre ab iis, quæ naturæ ordini opponuntur; nam ista cum naturæ ordine simul consistere non possunt; illa vero, cujusmodi ea sunt, quæ in se habet Divina Revelatio, naturæ ordinem non turbant, nec invertunt; sed manifestius declarant, aliquod esse Ens supremum, cujus agendi ratio huic ordini rerum alligata non sit, sed longe plura, atque sublimiora facere possit.

Hinc

Hinc S. Thomas lib. III. *contra Gent.* cap.99. num.7. postquam observavit Divinæ providentiæ ordinem inde non perverti, quia caussæ secundæ, contra ac secundum suam naturam consueverunt, aliquando agunt; ita recte concludit: *Si ergo per aliquam virtutem creatam fieri potest, ut ordo naturalis mutetur ab eo, quod est frequenter, ad id, quod est raro absque mutatione providentiæ Divinæ; multo magis Divina virtus quandoque aliquid facere potest sine providentiæ suæ præjudicio præter ordinem naturalibus inditum rebus a Deo. Hoc enim ipsum ad suæ virtutis manifestationem facit interdum. Nullo enim modo melius manifestari potest, quod tota natura Divinæ subjecta est voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse præter ordinem naturæ aliquid operatur.*

Dices II. Deus est immutabilis: ergo fieri non potuit, ut præter legem naturalem, quæ semper omnibus communis fuit, alteram quoque per Divinam Revelationem in tempore dederit, qualis est Mosaica, atque Evangelica.

R. Deum esse omnino immutabilem quis negare potest? Verum nihil minus inde inferri potest, quam quod Deistæ vellent; quandoquidem non ea ratione immutabilis dici debet, quatenus quæ agere constituit, omnino ab æterno efficere debuerit; sed quatenus unumquodque eorum, quæ agit successu temporum, ab æterno agere constituerat, & ea ratione, modo, tempore, occasione, omnibusque circumstantiis, quæ rei alicujus productionem comita-

ri possunt; in tempore producit, quibus ab æterno decreverat. Quapropter Deus, & nihil quoad substantiam, rationem, & cetera omnia in tempore producit, quod ab æterno producere non constituerit; & nihil eorum quoad substantiam, rationem, ac cetera omnia in tempore producere omittit, quæ ab æterno ita producere decreverat. Hoc autem in Deo ideo contingit, quia quum sit infinita scientia præditus nihil ei occurrere potest, propter quod a se faciendum esse decernat, quod ab æterno non decreverat, vel omittendum esse constituat, quod ab æterno agere constituerat. Quia vero scientia infinita omnia prorsus etiam minutissima quæque, complectitur; ideo etiam quoad modum, & cetera omnia, nihil in tempore diversa ratione agit, ac ab æterno constituerat; itemque qua ratione ab æterno decreverat, facit singula, quæ facit.

Articulus II.

Num Divina Revelatio nobis valde utilis sit.

ID nobis utile esse dicitur, quo communi tum præsentis, tum alterius vitæ bono prospicitur. Hac ergo ratione Divinam Revelationem nobis valde utilem esse contendimus.

Propositio. Divina Revelatio summam quoad nos utilitatem in se continet.

Prob. propositio. Per Divinam Revelationem aut manifestantur ea, quæ naturali ratione

tione cognosci non possunt, aut quæ naturali ratione cognoscuntur, certius, atque distinctius explicantur: ergo Divina Revelatio summam quoad nos utilitatem in se continet. Ant. manifestum est. Prob. conseq. Valde nobis utile esse, ut Divino magisterio de iis instruamur, quæ sunt supra nostram cognitionem posita, nemo unquam negaverit: nam si mens uniuscujusque perficitur, dum per alios vario genere disciplinarum imbuitur, longe melius perficimur, quando per ipsum Deum, qui falli non potest, ad sublimiorem cognitionem elevamur. Neque minus nostræ utilitati prospicitur, si a Deo revelentur, quæ naturali lumine rationis cognoscere possumus: nam uti recte habet S. Thomas lib. 1. *cont. Gent.* cap. 4. num. 3. *Salubriter Divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili possent Divinæ cognitionis participes esse, & absque dubitatione, & errore.*

2. Ut homines Divino, atque infallibili testimonio vel confirmati maneant in veritate eorum, quæ naturali ratione noverunt, vel certe, atque distincte percipiant, quæ obscure tantum detegere potuere, vel demum assequantur, quod licet ad conditionem sui status pertineret, tamen naturæ viribus profecto cognoscere non poterant, iisdem valde utile esse, nemo negaverit; sed Divina Revelatione hæc omnia afferuntur hominibus: ergo. Mi. constat: nam non solum Theologia Naturalis nihil

in se continet, quod Divina Revelatio non confirmet, sed etiam quæ per ipsam vel obscure tantum, vel nullo modo a nobis cognosci possunt, Divina Revelatione omnino distincte deteguntur; atque manifestantur.

3. Ut firmissimum testimonium semper habeamus, ad quod vel in omni nostra dubitatione, vel in variis sibi mutuo contradicentium opinionibus, sine errandi periculo recurrere possimus, nobis quam valde utile esse, nonnisi insipienter negare quispiam poterit; sed hoc firmissimum testimonium est ipsa Divina Revelatio: ergo. *Quidquid enim sceleris* (inquit S. Augustinus cont. Epistolam Parmeniani lib.3. num.9.), *& iniquitatis inebriat multitudinem. Sed ideo sunt tamquam sincerissimum speculum proposita hominibus oracula cælestium paginarum, ut ibi quisque videat quodlibet peccatum quantum sit, quod forte magnum est, & male viventium cæco more contemnitur*. Et in Sermone *de Disciplina Christiana* num.2. *Thesaurus ergo est magnus Divinarum Scripturarum, habens in se mirabilia præcepta multa, tamquam multas gemmas, & pretiosa monilia, & vasa ingentia, & magni metalli*.

4. Si breviori, atque certiori ratione fiat, ut id omne, quod ad nos spectat, cognoscere possimus, utilitati nostræ quam maxime prospicitur; sed hoc per Divinam Revelationem quæ Dei, nostri, atque aliorum sunt, paucis exposita certissime noscimus, quia voce ipsius Dei, qui nec fallere, nec falli potest, nobis mani-

manifestantur: contra vero ut naturali ratione ea, quæ cognosci possunt, videamus, & pluribus longioribusque ratiocinationibus opus est, & nobis de iisdem aliqua dubia semper recurrunt: ergo.

Dices I. Multa incommoda in homines per Divinam Revelationem invecta sunt: ergo. Prob. ant. Propter Divinam Revelationem contigit, ut tanta opinionum varietas esset in iis, quæ ad Religionem spectant, tot schismata fierent, tam graves contentiones inter homines exardescerent; sed hæc omnia sunt mala gravia: ergo.

R., n. ma.; atque a Deistis, qui contra Divinam Revelationem hæc opponunt, illud peto, num aliquando, immo annon sæpe homines naturali lumine rationis abutantur, quamvis eodem ea de caussa præditi sint, ut cognoscant, quæ ad Naturalem Religionem atque sui officii munus spectant? num in iis omnibus, quæ Religionem naturalem constituunt, inter se consentiant? num demum capita Religionis Naturalis eadem sint apud omnes? Profecto negare non possunt, hac tota de re maximam opinionum diversitatem esse, semperque fuisse.

Dices II. Si quæ utilitas in Divina Revelatione continetur, ea obscuritate, qua involuta est, omnino tollitur: nam quæ ad Christum pertinebant, obscure primis Patribus revelata fuerunt; ita vero deinceps per Christum tota res manifestata fuit, ut semper dubitandi locus remanserit. At non solum in hoc capite, sed

quæ

in aliis quoque omnibus, quæ divinitus revelata accepimus, plures occurrere difficultates, nemo negaverit: ergo.

R., æquo jure inferri non posse, Divinam Revelationem nobis inutilem esse, quamvis Deistis quoad multa eam obscuram esse demus: nam quæ institutionem morum, & præcipue Divini cultus spectant, tam manifesta sunt, quam quod maxime. Etenim ea Divina Revelatione, qualem modo habemus, in multis institui homines, quæ vel diminute tantum, vel nullo modo per rationem naturalem nosse possunt, nullus sane negaverit: ergo semper verum est, Divinam Revelationem nobis valde utilem esse.

Articulus III.

Num Divina Revelatio necessaria sit.

Duplex est necessitatis genus: unum nempe, quod ipsum Deum respicit, alterum quod refertur ad homines. Divina Revelatio quoad Deum necessaria esse non potest, quum sit quoddam donum, quod hominibus summa sua benignitate gratuito contulit. Superest ergo, ut quoad homines tantum necessaria sit, quod demonstrare aggredimur.

Propositio. Si conditionis humanæ naturæ ratio habeatur, Divina Revelatio hominibus necessaria est, tam quoad ea, quæ ad Religionem spectantia naturaliter cognosci possunt, quam

quam quoad alia, quæ ad eamdem Religionem ſpectantia naturaliter cognoſci non poſſunt.

Prob. prior pars propoſitionis. Ab hoc doctrinæ capite ſuam Theologicam Summam S. Thomas auſpicatur, atque Divinam Revelationem nobis neceſſariam eſſe, hac ratione demonſtrat: *Ad ea etiam*, inquit, *quæ de Deo ratione humana inveſtigari poſſunt, neceſſarium fuit hominem inſtitui Revelatione Divina; quia veritas de Deo per rationem inveſtigata a paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum homini proveniret: a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis ſalus, quæ in Deo eſt. Ut igitur ſalus hominibus & convenientius, & certius proveniat, neceſſarium fuit, quod de Divinis per Divinam Revelationem inſtruerentur*. Tria hìc continentur, quæ ad Deiſtarum pleniorem confutationem expendemus; hoc eſt, 1. *paucis*, 2. *per longum tempus*, 3. *cum admixtione multorum errorum* innoteſcere veritatem de Deo ſola ratione inveſtigatam.

Ut ergo a 1. exordiamur, hanc argumentationem inſtituimus: omnes ea Deo reddere debere, quæ ſecundum rectam rationem eſſe conſtat; erga alios ſeſe gerere, prout vellent, ut alii quoque erga ipſos ſe haberent; ab iis abſtinere, quæ in ſe turpia ſunt, illa vero proſequi, quæ ex ſui natura honeſtatem conjunctam habent; demum præſtare omnia, quæ in quavis circumſtantia recta ratio ſuaſerit, ne Deiſtæ quidem negare poſſunt, ſi Religionem natu-

naturalem admittant: sed tum experientia, tum certissima ratione constat fieri non posse, ut omnes studio, meditatione, & ratiocinatione hæc omnia a se adimplenda esse, & quomodo sint adimplenda ex naturali ratione videant: ergo ut omnes ea, quæ debent, præstare possint, Divina Revelatio necessaria est. Prob. mi. Quamvis supremum Dominum existere, qui omnia produxerit, regat, atque gubernet, unusquisque, si ad hanc rerum universitatem advertat, videre facile possit; tamen ut qualis ille sit, quid ei tribui, aut non tribui debeat; qua ratione sapientia, bonitas, & omnipotentia illius cum hac administratione rerum conciliari possit, aliaque multa his similia cognoscat, plurimum studii, & meditationis oportet, ut impendatur. Simili ratione quæ attentio adhibenda, quam diligens examen instituendum est, ut secundum regulas rectæ rationis tum erga se ipsum, tum erga alios semper unusquisque se gerat. Contra autem de studio harum omnium rerum plerosque homines, immo fere omnes vel propter voluptates, quibus tenacius adhærent, vel propter occupationem rei domesticæ, familiæ custodiam, aliaque negotia, quibus omnino distrahuntur, vel propter incapacitatem, ac talem vitæ institutionem, quæ a ratiocinio, & meditatione abhorreat, cujusmodi est mulierum, puerorum omnium, multorumque virorum, nihil omnino curare, experientia compertum habemus, ergo tum experientia, tum certissima ratio-

ne

ne constat, fieri nullo modo posse, ut omnes ea noverint, quæ secundum rectam rationem Deo, sibi, atque aliis reddere debent.

At vero inde quoque hæc eadem veritas evidenter evincitur, quia nonnisi *per longum tempus* ea de Deo cognoscuntur, quæ humana ratione investigari possunt. Ex hoc autem concluditur, neminem omnino esse posse, cui Divina Revelatio necessaria non sit. Et 1.° quidem, ut nihil dicamus, esse valde paucos, qui gravioribus hisce studiis incumbant, negari non potest, eos, qui animum iisdem adjiciunt, & postquam multum ætatis suæ transegerint, adjicere, & nonnisi post longum tempus ea judicii maturitate pollere, qua de rebus hujusmodi gravissimis judicium ferre possint. 2. Quam multum temporis insumatur oportet, ut difficultates, quæ vel sponte occurrunt, vel ab aliis injectæ contra opponuntur, solvi possint. 3. Ægritudines tum animi, tum corporis, munera, quibus ex conditione vitæ nostræ occupati esse debemus; negotia nostra, familiarium, atque amicorum, aliaque similia, quibus vita hominum distrahitur, ab hoc genere studiorum nonne sæpe avocant? Ita constat nonnisi *per longum tempus* ea de Deo cognosci posse, quæ humana ratione investigantur. Ergo, seclusa Divina Revelatione, reliquum est, ut homines per aliquod vitæ suæ spatium nullam regulam certam habeant, quam sine errore sequi possint: ergo in primis annis suæ juventutis, in quibus a pravis cupiditatibus hac & illac potissi-

diſtrahuntur, non habebunt, in quo ſui officii rationes conſpiciant, atque meditentur: ergo tunc vitam facile inſtituerent contra ac inſtituendam eſſe præcipiunt Naturalis Religionis præcepta, quæ non noverunt: ergo iis quoque Divina Revelatio neceſſaria eſt, qui præcepta Religionis Naturalis omni ſtudio noſſe contendunt.

Hoc vero eſt, quod etiam ex ultimo capite tanto magis manifeſtum eſt; nempe quia veritas de Deo per rationem inveſtigata homini cum *admixtione multorum errorum* proveniret, atque in iis, quæ agere debemus, ſæpe deciperemur. Hic autem ut tandem aliquando quid ſine Divina Revelatione poſſimus, Deiſtæ cognoſcant, naturæ noſtræ conditionem diligentius exponere, operæ pretium eſſe putamus. Homo ergo non ſolum in eorum omnium ignoratione naſcitur, quæ ad recte vivendum noviſſe debet, ſed etiam quamvis ratione præditus ſit, qua cognitionem eorum ſibi comparare poſſit, tamen impoſſibile eſt, ut hoc ſine ullo errore conſequatur. Tanta enim ſenſuum voluptate capitur, tantoque rerum ſenſibilium amore tentatur, ut, offuſis lumini rationis tenebris, quid revera conveniens ſit, ut agat, plerumque videre non poſſit. Pravæ deinde cupiditates bellum adeo infenſum in eo gerunt, ut ſibi ipſi contrarius quandoque eſſe videatur: nunc ad communem ordinem pervertendum, nunc ad debitæ ſubjectionis jugum excutiendum, libertatemque eni-

enixe quærendam, nunc ad dominatum ſupra alios uſurpandum interius inſtigatur; modo ira exardeſcere, modo ulciſcendi libidine inſanire, modo veſano amore fervere ſibi videtur: qua rei turpis delectatione allicitur, qua bonorum, & divitiarum æſtu torquetur; eoque ſæpiſſime ſe inclinatum ſentit, ut invideat bonis alienis, de alterius felicitate doleat, impietati faveat, improbitati ſtudeat, nihilque eorum non appetat, ad quæ ſuorum deſideriorum pravitate fertur. Hæc, & alia hiſce ſimilia, unuſquiſque in ſe ipſo experitur ſecundum animalem ſenſitivamque naturam, neque alicui dubium eſſe poteſt, quin inter rationem, & cupiditates noſtras continuum ſine intermiſſione bellum exardeſcat.

Rationem naturalem ad omnia ſufficientem eſſe, Deiſtæ volunt, & propterea Divinam Revelationem ut ſuperfluam rejiciunt, etiamſi præſentis conditionis noſtræ ratio habeatur. Hoc autem quamvis ex iis, quæ uſque modo diſſeruimus, falſum eſſe, certiſſime conſtet; tamen ut de re tam manifeſta nullus dubitandi locus ſupereſſe poſſit, quid ſola ratio potuerit, paullo diligentius expendamus. Neque enim res ulla alia eſt, qua magis cognoſcatur, quid per ſe poſſit humana ratio, quam ubi experientia, certiſque exemplis cernitur, ii, qui ſolam rationem pro regula propoſitam habuerunt, in quam varias ſententias abierint, non ſolum ineptas, & abſurdas, ſed etiam inter ſe contrarias, quarum, ut inquit Cicero

de

de Natura Deorum lib. 1. *alterum fieri potest, ut earum nulla, alterum omnino non potest, ut plus una vera sit*. Id autem observabimus tum in iis, qui Divinam Revelationem non cognoverunt, tum in aliis, qui eam impie contempserunt. Præcipua vero doctrinæ capita solummodo percurremus, quia de omnibus inquirere velle, nimis longum, atque operosum esset.

Ethnicorum Philosophorum errores, atque inter se dissensiones, quod attinet, Apologistæ Christianæ Religionis jampridem animadverterunt. *Nam palam in conspicua, & notissima porticu* (inquit S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 41. num. 2.), *in gymnasiis, in hortulis, in locis publicis, ac privatis, catervatim pro sua quisque opinione certabant: alii asserentes unum, alii innumerabiles mundos; ipsum autem unum alii ortum esse, alii vero initium non habere; alii interiturum, alii semper futurum; alii mente Divina, alii fortuito, & casibus agi: alii immortales esse animas, alii mortales: & qui immortales, alii revolvi in bestias, alii nequaquam; qui vero mortales, alii mox interire post corpus, alii vivere etiam postea vel paulum, vel diutius, non tamen semper: alii in corpore constituentes finem boni, alii in animo, alii in utroque, alii extrinsecus posita etiam bona ad animum, & corpus addentes: alii sensibus corporis semper, alii non semper, alii nunquam putantes esse credendum. Has, & alias pene innumerabiles dissensiones Philosophorum quis unquam populus,*

qui

qui senatus, quæ potestas, vel dignitas publica impiæ civitatis dijudicandas, & alias probandas, ac recipiendas, alias improbandas repudiandasque curavit, ac non passim sine ullo judicio, confuseque habuit in gremio suo tot controversias hominum dissentientium, non de agris, & domibus, vel quacumque pecuniaria ratione, sed de his rebus, quibus aut misere vivitur, aut beate? Ubi etsi aliqua vera dicebantur, eadem licentia dicebantur & falsa.

Hæc quidem de Philosophis, qui præcepta rationis se sequi profitebantur. Ceteros autem Ethnicos in turpissimos errores prolapsos fuisse, tum historiarum certissima monumenta, tum varia genera cultuum, quibus sua numina prosequi consueverunt, aperte testantur. Tanta enim turpitudine in eisdem exhibendis aliquando usi sunt, ut pudor honestatis Clementem Alexandrinum impedierit, ne illos referret.

Age ergo; num recentes contemptores Divinæ Revelationis, qui rationem, non præjudicatas opiniones, se sequi profitentur, minus turpiter lapsi fuerint, modo expendamus, atque primo exordiamur ab iis, quæ ad ipsum Deum spectant. Astutia Legislatorum, vel metu, aut ignorantia hominum Religionem constitutam esse, horum multi tradunt: Deum, & materiam unum idemque esse, quibusdam persuasum fuit: alii autem, quamvis Deum a materia distinxerint, tamen vel eam, quæ illi Deo necessario convenire debet, attributorum infi-

infinitatem denegarunt, vel providentiæ, justitiæ, atque bonitatis expertem, aut libertate destitutum eum esse voluerunt. De animæ vero natura, quæ cum Deo summam conjunctionem habet, judicium Recentiorum magis falsum est, quam Antiquorum fuerit: nam animam esse substantiam a corpore distinctam istorum fere omnes putarunt; illorum autem plerique censent, a corpore non distingui, unumque hominum, & brutorum interitum esse.

Regulas autem morum quod attinet, nihil tam recte constitutum est, quod non pervertant, ac destruant. Qua in re cum Veteribus nullo modo comparari possunt; nam quamvis in istis multa aut obscura, aut etiam falsa occurrant; tamen de morum disciplina plura eos rectissime disputasse, negari a nemine potest. Verum in hoc mirandum non est, quum veritatis lumini, quod illis non affulsit, nostri hi male philosophantes homines oculos clauserint. Primo ergo ut a studio virtutis omnes retrahant, atque impediant, ne vitia compescant, hominem sui juris esse negant. 2. Nullam naturæ legem nobis insitam, nihilque ex sui natura turpe, aut honestum esse contendunt, ut unusquisque suæ conscientiæ stimulos, quos, dum male agit, naturaliter patitur, securius suffocare possit. 3. Naturæ desideria hominem sequi posse statuunt, hoc est, ea omnia, quæ sensus dulciter afficiunt. 4. Ut homines liberius, atque sine ullo impedimento, voluptatibus vacare possint, ab omni exteriori cultu, qui

qui Deo exhiberi debeat, eos absolvunt. 5. Ut plura alia impiissima doctrinæ capita omittam, ne improbi a male agendo deterreri, & justi in virtute magis magisque confirmari possint, nullum post præsentem vitæ statum reliquum esse tuentur, in quo illi multa mala sustineant, hi autem præmium consequantur. Rationem ergo naturalem sufficientem non esse, ut quæ in hac vita a nobis agenda sunt, cognoscamus, tam manifestum est, quam quod maxime: ergo Divina Revelatio necessaria est, quia cognitionem eorum, quæ novisse debemus, nonnisi *cum admixtione multorum errorum* per rationem naturalem acquirere possumus.

Præterea sine Divina Revelatione nunquam constabit, qua ratione animi pasiones moderandæ sint, quid sensibus indulgendum, quid vero non indulgendum, ne vel plus æquo eisdem obtemperemus, vel in stoicam insensibilitatem, atque stupiditatem incidamus. Si ergo & animi quoque passiones ita compesci, & sensus ita regi debent, ut tum propter illas, tum propter istos ab ultimo fine supernaturali non avertamur, nemo non videt, ob multiplices rationes Divinam Revelationem nobis necessariam esse ad consequutionem ultimi finis supernatualis.

Deinde aliquem cultum a nobis Deo exhibendum esse, nemo Deistarum negare potest, quum hac de re certissime constet: itaque qua ratione Deum colere debeamus, nobis perspectum sit oportet. Sed neque per humanam ratio-

rationem, neque per auctoritatem aliorum hoc nosse possumus. Nam humana ratio quanti hac in re facienda sit, Ethnicorum omnium exemplo docemur: deinde quæ humana ratione constituta sunt, neque certa, neque unius modi esse posse, tanta varietas opinionum, quæ etiam de rebus gravissimis circumferuntur, dubitare non sinit. Idem quoque de aliorum auctoritate, ac de humana ratione, ob easdem caussas judicium esse debet: nullus enim cultus, quamvis turpis, aliquando adhibitus fuit, quem plurimorum auctoritas non probaverit. Divina ergo Revelatione nobis sit constitutum oportet, qua ratione Deum colamus: itaque si Deum colere debemus, Divina quoque Revelatio nobis necessaria est.

Dices. Si Divina Revelatio nobis necessaria esset, omnibus æqualiter manifestari debuisset; sed non omnibus æqualiter manifestata fuit, quia ante scriptam legem homines sine Revelatione vixerunt, ea autem scripta, manifestatio Divinæ Revelationis multis denegata fuit: ergo.

R., dist. ma., si ex justitiæ debito ea nobis a Deo conferretur, con. si conferatur ex bonitate illius, nc: *Acceptio personarum* (inquit S. Thomas 1. 2. qu.98. art.4. ad 2.) *locum habet in his, quæ ex debito dantur. In his vero quæ ex gratuita voluntate conferuntur, acceptio personarum locum non habet: non enim est personarum acceptor, qui ex liberalitate de suo dat uni, & non alteri: sed si esset dispensator*

fator bonorum communium, & non distribueret æqualiter secundum merita personarum, esset personarum acceptor. Salutaria autem beneficia Deus humano generi confert ex sua gratia: unde non est personarum acceptor, si quibusdam præ aliis conferat. Quum ergo Divina Revelatio sit quoddam salutare beneficium, quod Deus ex sua gratia contulit humano generi, non est, cur quispiam definire præsumat, quando potissimum, & quibus hominibus conferri debuerit.

Illud tamen observandum est, quod licet antequam lex Moysi traderetur, homines aliquam Divinam Revelationem litteris consignatam non habuerint; tamen id luminis eisdem non defuit, per quod, nisi forte ipsi propter suam malitiam contra restiterint, & errores detegere, & suam vitam etiam quoad Dei cultum, prout decebat, recte instituere potuerint.

Etiam Celsus, quem nostri Deistæ semper imitantur, illud quærebat, cur *post tot sæcula nunc tandem Deo in mentem venit vitam hominum ad justitiam reducere, antea autem curæ non fuit?* cui Origines ita respondet lib.4. contra eumdem num.7. *Respondeo Deum nunquam non voluisse, ut homines justi fierent: id semper cordi habuisse, quippe qui animali rationis compoti, & consectandæ virtutis, & recte faciendi occasiones præbuerit. Per singulas enim generationes Dei sapientia in animas, quas sanctas invenit, descendens amicos Dei Prophetas-*

que facit. Quin etiam in sacris libris invenire est, qui quibusque ætatibus sancti fuerint, & Divinum in se spiritum receperint, & pro viribus ad alios convertendos studium contulerint, & operam. Num. autem 8. ita apte concludit: *Sunt enim aptæ inter se, & connexæ diversæ rationes, quas ad regendas humanas animas Deus adhibet, & quas nemo consequi, & enarrare potest.*

Cur autem lex vetus populo Judæorum, & non aliis gentibus promulgata fuerit, ea conveniens ratio esse potest, quam affert S. Thomas 1. 2. qu.98. ar.4. hoc est, quia *decebat, ut ille populus, ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctificatione polleret.*

Contr. A Dei bonitate, atque charitate quam maxime abhorret, plerisque neglectis, aliquorum tantum saluti prospectum esse; sed hoc contigisset, si Divina Revelatio necessaria esset, nam multis Evangelii prædicatio denegata fuit: ergo Divinam Revelationem necessariam non esse dicendum est, ne quod Divinæ bonitati, atque charitati opponitur, affirmare cogamur. Ita cum aliis Deistis Auctor Opusculi inscripti: *Les Oracles de la Raison.*

At hoc argumenti genere Deistas urgemus. Eorum, qui nullam Divinam Revelationem acceperunt, valde pauci studio, atque meditatione assequuntur omnia præcepta Religionis Naturalis: contra plures in eorumdem maxima ignoratione versantur: ergone dicendum erit Religionem Naturalem non esse homini

ni necessariam? ergone Deus nullam Naturalem Religionem omnibus insculpsisse debuit? Quo ergo ea argumentandi ratio ducat, qua contra Divinam Revelationem utuntur, Deistæ etiam atque etiam videant, ac tandem aliquando evidenti veritate convicti erubescant. Nam si Religionem Naturalem vel necessariam homini esse, vel eam hominibus dari debuisse, negare non audent, quamvis multi homines illius præcepta non noverint; potiori jure, quia non omnes Divinam Revelationem acceperunt, eam hominibus necessariam esse, negare non possunt: quandoquidem Religio Naturalis nihil supra humanam cognitionem habet, sed est quid connaturale ipsi homini; contra autem Divina Revelatio & est supra naturam hominis, & multa continet, quæ humanam cognitionem excedunt.

Illud ergo tantum Divinæ charitati, atque bonitati repugnaret, si ii, qui Divinam Revelationem nullo modo neque audire, neque recipere potuerunt, propterea a Deo graviter punirentur, quia eamdem neque receperunt, neque audierunt. Ceterum non ita sese res habet: quandoquidem puniendi utique isti quoque a Deo erunt, sed tamen quia non servarunt præcepta naturæ, quæ & noscere, & servare poterant, atque debebant.

Hæc tandem ex S. Thoma Quæst. 14. de *Veritate* ar. 11. superaddenda esse censemus, ut Deistæ tanto magis videant nihil se habere posse, in quo de divina providentia queran-

tur: *Hoc*, inquit S. Doctor, *ad Divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter enutritur* (hoc est in sylvis) *ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquando fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium* Act. 10. De homine in sylvis erudito hæc habet S. Thomas: de aliis vero omnibus, qui Divinam Revelationem non acceperunt ista alia superaddit S. Doctor: *Dicendum*, inquit, *quod quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea, quæ sunt fidei ex nobis ipsis: tamen si nos fecerimus, quod in nobis est, ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis est necessarium.* Ex quibus omnibus, quæ rectæ rationi valde consentanea sunt, adhuc evidentius semper constat, neminem eorum, qui Divinam Revelationem non acceperunt, habere, cur de Deo conqueratur.

QUÆSTIO II.

De præcipuis argumentis Divinæ Revelationis.

Divina Revelatio quum sit quoddam diploma a Deo promulgatum hominibus, in quo & mysteria credenda, & præcepta servanda

vanda proponuntur, fieri non poteſt, ut metaphyſicis rationibus comprobetur. Sicuti enim ſi quæſtio ſit, num a Præfecto civitatis lex aliqua prodierit, metaphyſicis rationibus ea finienda non eſt, ſed iis omnibus, quibus alicujus facti veritas demonſtrari poteſt; idem quoque argumentandi genus in quæſtione de Divina Revelatione ſervari oportet. Quia ergo Divina Revelatio eſt ſupernaturalis, aliquid ſupernaturale occurrere debet, quo in cognitionem illius venire poſſimus. Id vero ipſius doctrinæ Revelatæ ſanctitatem, ac Divinitatem, Miracula, & Prophetias eſse contendimus: nam nihil horum per humanam virtutem haberi potuit.

ARTICULUS I.

Num ex alicujus Doctrinæ Sanctitate, atque Divinitate certa Argumenta erui poſſint, quibus eam Doctrinam divinitus inſpiratam eſſe conſtet.

HIC de eo argumentorum genere quærimus, quæ doctrina divinitus inſpirata in ſe habere debet: multa autem hujus generis, atque evidentiſſima occurrere poſse, modo contendimus.

Propoſitio. Ipſius doctrinæ habita ratione, num ea divinitus tradita ſit, certiſſime dignoſci poteſt.

Prob. propoſit. Et 1. quidem quo humana ratio pertingere poſſit, ac re vera omni ætate

pervenerit, demonstravimus ar. 3. quæstionis præcedentis: ergo illa doctrina, quæ multa supra humanam rationem continet, hominum inventum esse non potest. Deinde eos, qui omni Divina Revelatione caruerunt, dum leges conderent, sæpe a vero aberrasse, comperta res est: ergo ea doctrina, quæ omnis erroris est expers, quæque firmissima regula omnibus semper fuit, ne a veritate deficerent, Divina sit oportet. Tandem quæ ab hominibus leges prodierunt, neque communi, ac privato bono semper æque consulunt, neque simul quæ Dei sunt, & quæ hominum esse debent, semper tuentur, neque omni ætati, tempori, conditioni personarum, diversitati nationum, omnibus provinciis, regnis, atque populis convenientes esse possunt, quia humana ratio non solum futura non prævidere, sed neque etiam omnia præsentia complecti potest: ergo eas leges divinitus traditas esse oportet, quæ hujusmodi defectibus non sunt subjectæ.

2. Alicujus doctrinæ divinitas inde potissimum cognoscitur, si in omnibus suis partibus quamdam divinitatem aperte præseferat: ergo ea doctrina nonnisi Divina esse potest, in qua tanta de Deo, ejusque Divinis perfectionibus occurrunt, ut nihil tale ab humana mente excogitari possit; in qua Religio cum summa puritate fovetur, homines autem tum in iis, quæ Dei sunt, tum in aliis omnibus, quæ vel quoad seipsos, vel quoad alios servare debent, cum summa perfectione per eam instituuntur.

3. Hu-

3. Humanæ leges per vim quidem homines obligare posſunt, interius vero flectere, ſi renuant, non posſunt: ergo legem illam, quam interius corda hominum flexiſse legimus, Divinam eſse, exiſtimandum erit. Hoc autem judicium eo certus eſse debet; ſi homines vel repugnantes, atque contradicentes flexerit; ſi quamvis ſibi ipſis perpetuum bellum indicendum, inſtituta majorum relinquenda, cupiditates cohibendas, divitiarum, honorum, ac dignitatum ſtudium deſerendum, multa mala in hac vita ſuſtinenda eſse viderent, tamen huic legi paruerint, atque ita animo comparati paruerint, ut potiuſquam eam desererent, ſua bona, domeſticos, familiares, atque vitam ipſam amittere non dubitaverint. Hoc profecto divinitatis tam clarum, atque evidens argumentum eſt, ut negari a nemine poſſit.

4. Præſentis vitæ bona, vel mala ea ſemper fuiſse legimus, per quæ, ut ſua Statuta ſervarentur, Legislatores obtinuerunt: quis enim comminationes, aut promiſſiones eorum non irriſiſset, ſi in altera vita, ſe homines punituros, vel remuneraturos conſtituiſsent? ergo illam legem, quæ, ut ſibi homines obſequerentur, per futura præmia, aut ſupplicia obtinuit, Divinam eſse, dici debet.

5. Nunquam homines paſsos fuiſse novimus, ut ab iis ſibi leges imponerentur, qui ſupra ſe neque vi, neque auctoritate aliquid poterant; quin potius ſæpe contigit, ut etiam juſtæ dominationis imperium contempſerint, tyrannidis

vero jugum ferre nullo modo potuerint: ergo Divinam esse oportet illam legem, cui homines etiam cum vitæ periculo paruerunt: quamvis illam acceperint ab iis, qui supra se nihil poterant. Quid vero si non solum supra se nihil poterant, sed etiam conditionis longe inferioris erant, omnique humana re destituti, quibus vel timorem incutere, vel majestatis speciem præseferre, vel doctrinæ laude, aut eloquentia aliis præcellere possent?

Nullus ergo dubitandi locus superest, quin certissima argumenta ab ipsius doctrinæ sanctitate, atque divinitate petita suppetant, quibus manifeste perspectum fieri possit, aliquam doctrinam divinitus inspiratam esse. Talia vero esse, quæ modo recensuimus, aliaque hisce similia, unicuique, qui sana ratione utatur, facile perspectum fit. Si igitur constet, hæc omnia contineri tum in lege Veteri, tum etiam in Evangelica, eas divinitus inspiratas esse, firmissime tenendum est. Revera autem hæc, multaque alia in utraque inesse, suo loco evidentissime demonstrabimus.

Hisce ergo, quæ ad primum argumentum Divinæ Revelationis pertinent, ita constitutis, quoniam Deistæ nihil habent, quod contra reponere possint, ad alia explicanda accedamus.

Arti-

ARTICULUS II.

Num Miracula fieri possint.

ALterum argumentum Divinæ Revelationis miracula esse contendimus. Deistæ ut ab hoc argumenti genere sese expediant, omnia miracula negant, & nihil supra naturæ vires etiam Dei virtute fieri posse affirmant. Hoc vero est, in quo eos confutare modo aggredimur, ut inde constare certo possit, eam doctrinam divinitus inspiratam esse, in cujus confirmationem plura miracula facta fuerunt.

Miraculi ergo nomen a mirando sumptum est. Admiratio autem duplici de caussa in nobis excitatur: 1. quia rei, quam admiramur, caussam non cognoscimus: 2. quia aliquid evenire conspicimus, contra ac naturali ordine constitutum est. Duplici autem ratione contingit, nobis occultam esse caussam ejus rei, quam admiramur; hoc est, vel secundum se, vel quoad nos tantum. Tunc quoad nos tantum occulta esse dicitur, quando licet secundum se considerata non sit simpliciter occulta, ea tamen hunc, vel illum hominem latet, ex quo fit, ut huic, vel illi homini aliquid præter naturæ ordinem occurrere videatur, quamvis nihil revera occurrat. Secundum se vero est simpliciter occulta, quando prorsus latet, & id, quod contingit, præter naturæ ordinem contingit. Quæ secundum priorem acceptionem oc-

culta sunt, *mira* vel *mirabilia* dici posſunt, non vero miracula: hoc enim nomine ea tantum vocari debent, quæ cauſſam ſimpliciter incognitam habent, & aliquid continent, quod præter naturæ ordinem ſit. D. Thomas in *Diſput. De Poten. Dei* qu.6. *de Miraculis* art.2.

Ex hiſce vero omnibus & miraculi definitio colligitur, & Spinoſæ fraus detegitur. Miraculum ergo eſt effectus, qui præter uſitatas, atque mechanicas naturæ leges contingit, & eſt ſupra vires omnium cauſſarum naturalium. Nam ad miraculum non ſolum requiritur, ut omnes naturæ vires excedat, ſed etiam eſſe debet præter ordinem ejus; nam ut miraculum opus ſupernaturale ſit, omnino ſupra naturam eſſe debet: hoc ut habeat, non ſolum requiritur, ut nullis naturæ viribus produci poſſit, ſed etiam neceſſe eſt, ut jam conſtitutum naturæ ordinem tranſcendat. Hinc quamvis naturæ viribus creatio animæ rationalis haberi non poſſit; tamen opus ſupernaturale, ſeu miraculum ea dici non debet, quum ſecundum ordinem jam poſitum a Deo creetur.

Claskius de *Religione Naturali* cap.19. aſſerit: *miraculum eſſe effectum conſueto naturæ ordini contrarium, productum a natura quadam intelligenti, quæ poteſtate hominem ſuperat*. Quapropter, ſi nonnulla excipias, quæ cujuſvis ſubſtantiæ ſpiritualis creatæ virtutem excedunt, qualia eſſe cenſet & creationem ex nihilo, & mortuorum vivificationem quoad Angelos malos, in nullo miraculo certas notas

a nobis deprehendi posse statuit, propter quas indubie discerni queat, utrum Deus, aut boni, vel mali Angeli effectores illius fuerint, quia quibus limitibus tum bonorum, tum malorum Angelorum potestas constricta sit, nunquam assequi possumus. Clarkii opinionem sequuntur Jo: Tillotsonus, Jo: Lokius, Jo: Clericus, Stillingfletus, Barrovvius, & alii; contra tamen sentiunt etiam multi eorum, qui Romanæ Ecclesiæ communionem aversantur, præcipue vero Moshemius in *Adnotationibus* ad *Systema Intellectuale* Cudvvorti tom.2. ca.5. sect.1. §.86., & Jacobus Serces in suo libro de *Miraculis* edito. Amstælodami an.1729.

Dicimus, quod quamvis tum Angelos, tum homines Dei virtute adjutos miracula facere posse defendamus, nulli tamen creaturæ convenire asserimus, ut per se miracula faciat: quod sane evidenti argumentatione evincere infra conabimur.

Quando autem sive Angeli, sive homines Dei virtute miracula faciunt, ad ea facienda triplici ratione concurrunt: 1. impetratione precum; & hic modus communis est tum Angelis, tum hominibus: 2. naturalis virtutis, quæ in materia inest, dispositione ad aliquid supernaturale producendum; qui agendi modus Angelis tantum convenit, & secundum eum pulveres mortuorum, qui a Deo vivificandi erunt, in resurrectione collecturos esse dicitur: 3. cooperatione, quatenus Deus Angelis, vel hominibus utitur tamquam instrumentis ad agen-

dum aliquid, quod ſit præter naturæ ordinem.

Hiſce præhabitis, modo demonſtrandum ſuſcipimus, Deum & miracula facere poſſe, & ipſum ſolum propria virtute poſſe.

Propoſitio. Deus & miracula facere poteſt, & ſolus propria virtute poteſt.

Probatur prior pars propoſitionis. Deus non ex neceſſitate naturæ, ſed omnino libere operatur: ergo quemcumque effectum, qui illius virtuti conveniat, per ſe producere poteſt: ergo miracula facere poteſt. 1. conſequentia manifeſta eſt: nam hoc diſcriminis intercedit inter agens liberum, & agens neceſſarium, quod iſtud & neceſſario agat, & determinatam agendi rationem habeat, illud autem agere poteſt quæcumque vult, & qua ratione vult juxta poteſtatem ſuæ virtutis. 2. quoque conſequentia conſtat, quia ſive ſit miraculum quoad ſubſtantiam facti, ſive quoad id, in quo fit, nihil in ſe habet, quod Divinæ virtuti convenire non poſſit, & aliunde quoque potentiam Divinæ virtutis non excedit.

2. Deus non poteſt eſſe ſubjectus ordini, qui ab ipſo eſt; ſed ille ordo, quo cauſſæ naturales a ſe invicem pendent, a Deo eſt: ergo huic non ita alligatus eſt, quin præter eum operari poſſit. Major propoſitio manifeſta eſt, quia tunc contineretur ſub illo ordine, qui eſt ab ipſo, ſi neceſſitate naturæ illum conſtituiſſet. Minor a nemine impugnatur. Conſequens vero inde fit, ut præter hunc ordinem Deus operari poſſit, vel ſine cauſſis naturalibus producen-

ducendo eos effectus, quos etiam ipsæ producerent, si adhiberentur; vel etiam producendo alios effectus, qui sunt supra virtutem illarum.

3. Creandi virtus soli Deo convenire potest, & ipse Deus est prima caussa, a qua omnia entia contingentia habent, ut sint. *Potest igitur*, ut recte concludit S. Thomas, Lib.III. *contra Gentiles*. cap.99. num.3. *immediate unamquamque rem producere, sive movere ad aliquem effectum absque mediis caussis*. Conseq. constat: nam, ut ait S. Doctor, *oportet, quod ille, qui immediate substantiam rei producit, possit immediate circa ipsam rem operari quæcumque ad substantiam ejus consequuntur*. Quum vero Deus sit etiam omnipotens, non quia ea omnia potest, quæ etiam secundis caussis possibilia sunt, sed quia longe plura atque perfectiora, & omnino quæcumque contradictionem non involvunt, illius potentia complectitur; consequens inde est, ut ea quoque per se posit efficere, quæ virtute caussarum naturalium impossibile est, ut producantur.

4. Ideo Deus præter naturæ ordinem agere non posset, vel quia hæc rerum universitas a se ipsa esset, vel quia de omnibus entibus quamdam universalem cognitionem haberet, non vero peculiarem, providentiæque illius non omnia subessent, vel quia libertate, atque omnipotentia destitutus esset: non primum, quia nihil a se ipso esse potest: non alterum, quia Deus distincte, atque peculiariter omnia in se ipso cogno-

cognoſcit, atque de omnibus providentiam habet: non tertium, quia Deus ſumma libertate, atque omnipotentia præditus eſt: ergo quum falſa hæc omnia ſint, falſum quoque eſſe debet, Deum præter naturæ ordinem agere non poſſe, vel per ſe producendo eos effectus, quos etiam cauſſæ ſecundæ poſſent, vel alios longe perfectiores, quos ipſæ non poſſent, vel impediendo, ne ſua naturali virtute cauſſæ ſecundæ agant. *His ergo tribus habitis* (inquit S. Thomas de Potent. Dei quæſt.6.de Miraculis art.1.) *ſcilicet quod Deus ſit rebus naturalibus cauſſa eſſendi, & quod propriam cognitionem, & providentiam habeat de unoquoque, & quod non agat ex neceſſitate naturæ, ſequitur, quod poteſt præter curſum naturæ aliquid agere in particularibus effectibus vel quantum ad eſſe, in quantum aliquam novam formam inducit rebus naturalibus, quam natura inducere non poteſt, ſicut formam gloriæ, aut huic materiæ, ſicut viſum in cæco; vel quantum ad operationem, in quantum retinet operationes rerum naturalium, ne agant, quod natæ ſunt agere, ſicut quod ignis non comburat, ut patet* Daniel.3.

Prob. alrera parſ. Quod ſub aliquo ordine continetur, præter illum operari non poteſt; ſed omnia entia creata, quæcumque ea ſint, ſub ordine a Deo conſtituto continentur: ergo præter illum agere non poſsunt, proindeque neque propria virtute miracula facere. Major propoſitio conſtat: contradictionem namque implicat, ſecundum omnem ſui virtutem aliquid

quid ſub uno ordine contineri, & prǽter illum agere poſse: nam contineretur ſimul, & non contineretur. Minor quoque manifeſta eſt, quia res omnes non ſolum, a Deo habent, ut ſint, ſed etiam ut hoc, vel illo modo ſint. Quum ergo miraculum ſit effectus præter conſuetum naturæ ordinem productus, nullum ens creatum atque adeo conſueto naturæ ordini ſubjectum miracula propria virtute poteſt facere. D. Thomas III. *con Gentiles* c.102. num.1.

2. Potentia cujuſvis entis creati quum infinita non ſit, limitata eſt ad aliquos effectus producendos, extra quos progredi non poteſt: ergo quidquid cujuſvis creati entis virtute fit, miraculum dici non poteſt. Prob. conſ. Nam quod finita virtus ſecundum determinationem, quam habet, operatur, miraculum non eſt, quum non ſit præter naturæ ordinem. Eſt ergo obſervandum miraculum duplici ratione accipi poſse: uno modo quoad nos tantum, alio modo ſimpliciter, atque in ſe. Quoad nos miraculum eſse dicitur, quod licet creata, tamen nobis incognita virtute fit præter naturæ ordinem uſque modo perſpectum. Simpliciter autem miraculum eſt, quod virtute, quæ a nemine comprehendi poſſit, præter ordinem totius naturæ fit. Quia ergo virtus finita cujuſvis entis creati ab aliquo intellectu comprehendi poteſt, non eſt cauſsa ſimpliciter occulta: virtus autem infinita incomprehenſibilis eſt, ideoque & ſimpliciter occulta. Inde vero conſequitur, ut ea, quæ virtute finita fiunt, ſimpliciter

citer miracula non ſint, quamvis talia videri ei poſſint, qui hujuſmodi virtutem ignorat. Illa autem, quæ paæter naturæ ordinem virtute Divina fiunt, ſimpliciter, & quoad omnes miracula ſint. D. Thomas III. *contra Gentiles* ca.102. nu.2., & 1.par. qu.110. ar.4. ad 2.

3. Verum miraculum præter totius naturæ ordinem eſse debet: ergo nullum ens præter Deum miracula propria virtute edere poteſt. Prob. ant. Nam miraculi rationem non habet, quod præter alicujus particularis dumtaxat naturæ ordinem fit: hinc miraculum, non facit qui lapidem ſurſum projicit, quamvis hoc fiat præter eum naturæ ordinem, quem lapis habet: ergo neceſse eſt, ut miraculum ſit præter ordinem totius naturæ. Ex hiſce autem conſtat, neminem præter Deum miracula propria virtute edere poſse: nam nemo eſt, qui ſit ſupra ordinem totius naturæ creatæ, quum omne ens creatum intra eum contineatur. D. Thomas 1.par. qu.100. art.4.

Dices I. contra priorem partem. Natura, quem ordinem habet, a Deo habet: ergo Deus miracula facere non poteſt. Prob. conſ. Deus ſibi adverſari non poteſt; ſed miracula ſunt contra conſtitutum naturæ ordinem: ergo ſi iſte a Deo eſt, Deus miracula facere non poteſt.

R., diſt. mi., ſunt contra particularem naturæ ordinem, con., contra univerſalem, ne. Eſt ergo jam demonſtratum a nobis, miracula univerſali naturæ ordini non opponi, ſed peculiari tantum, qui non ſolum a Deo propter

ter miracula, ſed aliquando etiam a cauſſis ſecundis immutatur.

Illud quoque obſervandum eſt, uti monet S. Thomas in *Diſputatis de Potent. Dei* quæſt.6. *de Miraculis* art.2. ad 3. *Quod circa ea, quæ Deus miraculoſe facit, talis ſolet adhiberi diſtinctio, quod quædam dicuntur fieri ſupra naturam, quædam contra naturam, quædam præter naturam. Supra naturam quidem in quantum in illum effectum, quem Deus facit, natura nullo modo poteſt: quod quidem contingit dupliciter, vel quia ipſa forma inducta a Deo omnino a natura induci non poteſt, ſicut forma gloriæ, quam inducet Deus corporibus electorum, & ſicut etiam incarnatio Verbi; vel quia etſi talem formam poſſit in materiam inducere, non tamen in iſtam; ſicut ad cauſandam vitam natura potens eſt, ſed quod in hoc mortuo natura vitam cauſet, hoc facere non poteſt. Contra naturam eſſe dicitur, quando in natura remanet contraria diſpoſitio ad effectum, quem Deus facit: ſicut quando conſervavit pueros illæſos in camino, remanente virtute comburendi in igne, & quando aqua Jordanis ſtetit, remanente gravitate in ea: & ſimile eſt, quod virgo peperit. Præter naturam autem dicitur Deus facere, quando producit effectum, quem natura producere poteſt; illo tamen modo, quo natura producere non poteſt, vel quia deficiunt inſtrumenta, quibus natura operatur (ſicut Chriſtus convertit aquam in vinum* Joan.2., *quod tamen natura aliquo modo facere poteſt, dum aqua in nutrimen-*

men-

mentum vitis assumpta , suo tempore in succum uvæ perdigesta producitur) vel quia est in Divino opere major multitudo , quam natura facere consuevit , sicut patet de ranis , quæ sunt productæ in Ægypto ; vel quantum ad tempus , sicut quum statim ad invocationem alicujus Sancti aliquis curatur , quem natura non statim , sed successive , & in alio tempore ; non in isto curare posset : & sic accidit in miraculo inducto de socru Petri . Unde patet , quod omnia hujusmodi , si accipiatur & modus , & factum , facultatem naturæ excedunt .

Cont. Sicuti ordo universalis , ita etiam peculiaris a Deo est : ergo si contra universalem non agit , neque etiam contra peculiarem agere debet .

R. , ne. con. Si enim Deus contra universalem naturæ ordinem , vel contra naturam universaliter acceptam ageret , tunc natura rerum omnium immutari deberet. Nomine enim naturæ universaliter acceptæ nihil aliud intelligitur , quam id , quod quævis natura habere debet , ut talis esse perseveret . Inde vero est , ut contra naturam universaliter acceptam Deus non agat . *Dicendum* (inquit S. Thomas laud. quæst., & art:ad 7.) , *quod Deus faciendo præter cursum naturæ , non removet totum ordinem universi , in quo consistit bonitas ipsius ; sed ordinem alicujus particularis caussæ ad suum effectum .*

Quamvis autem Deus contra aliquam peculiarem naturam agat , illius rei natura , sive essentia non immutatur, sed tantum efficitur, ut

ipsa

ipsa res peculiaris vel producat effectum, quem per se producere non posset, vel ab eo producendo abstineat, quem ex sui natura produceret.

Cont. Deus est immutabilis: ergo non solum contra universalem, sed neque etiam contra particularem naturæ ordinem agere debet. Prob. conf. Tunc aliquis mutari dicitur, quando ordinem, quem semel constituit, non servat; sed etiam ordo peculiaris a Deo est: ergo si Deus est immutabilis, neque etiam contra istum agere debet.

R., dist. ma., mutatur qui ordinem a se constitutum non servat, si velit, quod antea noluerat, vel nolit, quod antea voluerat, con., ita ut modo unam rem, modo alteram in tempore esse velit, quam semper ita esse voluerat, ne: Tunc Dei voluntas mutabilis dici posset, quando vel amplius nollet, quod antea voluisset, aut vellet, quod antea noluisset. Verum nihil tale in Deo fingi potest: nam ejus voluntas est æterna, & quidquid in tempore operatur, non solum ab æterno illud esse voluit, sed etiam eo modo, quo est in tempore. Tam ergo illa, quæ independenter ab ordine caussarum secundarum, quam quæ secundum earumdem naturalem ordinem fiunt, in Divina sapientia & voluntate ab æterno continebantur, noveratque Deus etiam modum, quo ex ipsius voluntate futura erant, ideoque nullum argumentum mutationis in Deo esse ex eo potest, quia nonnulla aliquando præter consuetum naturæ ordinem operatur.

Dices

Dices II. contra eamdem partem. Miracula ab effectibus naturalibus distinguere non valemus: ergo saltem ex effectibus non cognoscimus ea omnia, quæ naturæ viribus fieri possunt: ergo.

R., distin. ant., & tamen semper nobis perspectum est, miracula per naturæ vires fieri non posse, con., non est perspectum, ne: Deistis utique damus, omnes naturæ vires nobis non esse cognitas; tamen illud semper certo perspectum habemus, naturalibus viribus cujusvis entis creati miracula fieri non posse. Etenim inter caussam, & effectum certa proportio semper esse necessario debet: si ergo certo constet, inter aliquam caussam, & effectum nullam proportionem esse, absque errandi periculo affirmare possumus, immo & debemus, illum effectum ab ea caussa produci non posse. Hoc vero est, quod in ipsis miraculis perspectum habemus: nullam enim eorum cum caussis naturalibus proportionem esse cognoscimus, immo supra vires illarum miracula posita esse videmus. Itaque quamvis non omnes vires caussarum naturalium perspiciamus, inferre tamen æquo jure possumus, aliam a naturali caussam necesse esse, ut miracula habeant. Quæ ergo unum corpus sua actione in aliud producere possit, sæpissime incertum est; tamen dubitari non potest, neque in voce alicujus hominis vim tantam inesse, ut vel mortuo vitam restituere, vel statim ægrotum ab infirmitate liberare possit. Certum quoque est, neminem

neque

neque mare dividere, neque super illud eodem modo, ac super terram, ambulare posse: hæc ergo omnia, aliaque hisce similia, sunt præter naturæ vires, & miracula vocari debent. Idem quoque de facultate humani spiritus dicendum est: quousque sua cogitatione pervenire possit, non novimus; experimento tamen, ac ratione compertum habemus, aliqua cognoscere nullo modo posse, uti sunt secreta cordium resque futuræ, quæ a libera hominum voluntate pendent: qui ergo hæc facit, Divina virtute ea facere, dicendum est.

Cont. Ut de miraculis certo constaret, non solum supra nostras, aut materiæ, sed etiam supra vires cujusvis alterius entis nobilioris ea esse constare deberet; atqui hoc non constat: ergo. Prob. mi. Quæ sua naturali virtute entia spiritualia possint, nos ignoramus: ergo.

R., dist. ant., & tamen semper certo constat, nullum ens creatum cujusvis conditionis illud sit, miracula facere posse, con., non constat, ne: Quamvis ergo demus, nobis certo constare non posse, quam virtutem habeant ea entia, quæ præ ceteris nobiliora sunt; tamen nullus dnbitandi locus relinquitur, sua virtute miracula facere non posse. Etenim, uti jam alibi monuimus, miraculum tale opus esse debet, quod non solum sit præter ordinem alicujus naturæ particularis, sed etiam totius naturæ creatæ; hoc est, cujusvis creatæ naturæ vires excedat. Quum ergo omnia entia, quævis tandem sit eorum vis, atque potestas, intra ordi-

ordinem rerum creatarum contineantur, miracula ab eis nullo modo fieri poſse, certiſſime conſequitur: nam in id, quod ſibi non eſt ſubjectum, nulla cauſſa operari poteſt.

Et re quidem vera non alia de cauſſa Deus miracula facere poteſt, niſi quia tota natura illi ſubjecta eſt: hoc autem ſoli tantum Deo convenire poteſt, ut per ſe patet: nullum ergo ens creatum propria virtute miracula poteſt facere. *Dicendum* (inquit S. Thomas 1. par. quæſt. 110. art. 4.) *quod miraculum proprie dicitur, quum aliquid ſit præter ordinem naturæ. Sed non ſufficit ad rationem miraculi, ſi aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis. Quia ſic quum aliquis projicit lapidem ſurſum, miraculum faceret, quum hoc ſit præter ordinem naturæ lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur eſſe miraculum, quod ſit præter ordinem totius naturæ creatæ. Hoc autem non poteſt facere niſi Deus. Quia quidquid facit Angelus, vel quæcumque alia creatura propria virtute, hoc fit ſecundum ordinem naturæ creatæ. Et ſic non eſt miraculum. Unde relinquitur, quod ſolus Deus miracula facere poſſit.*

Dices ult. Utut a ſolo Deo vera miracula fieri poſſint, at certo conſtare deberet, quænam vera, & quænam falſa ſint; atqui id non conſtat: ergo.

R., ne. mi. Judicium ergo de veritate miraculorum ſupra vulgi captum eſse, & nos utique damus; at quis æquo jure inde inferre poterit, nunquam conſtare poſse, quænam tandem

dem vera miracula sint? Quandoquidem certæ sunt constitutæ regulæ, quibus a falsis vera miracula discernantur. 1. est, nulla miracula fieri posse in confirmationem eorum, quæ inter se pugnantia esse rationis lumine cognoscitur. 2., supra omnes naturæ vires miracula esse debere. 3., ea in Dei nomine fieri. 4., veritatem per ea confirmari oportere. Num autem confirment veritatem ex evidentia, multiplicitate, atque repetita operatione eorum in diversis locis, atque temporibus, tum etiam ex caussis, propter quas effecta sunt, exque effectibus demum, qui inde provenerunt, facile compertum fieri potest.

Hinc Miindenius *in Quæstionibus nonnullis insignioribus ex doctrina de miraculis* pag.26. rem omnem ita recte conficit: *Universalissimum, tutissimum, atque simplicissimum miracula vera, ac Divina, sive certo, sive probabiliter discernendi signum non immerito habetur circumstantiarum omnium, quæ concurrunt, amica conspiratio, si manifestum sit, factum ejusmodi revera contigisse, & vires humanas excedere, si caussa instrumentalis miraculi sit jam aliunde probata tamquam sincera, & fallaciæ expers, si indicia adsint, gloriam, & sanctificationem nominis Divini opportune, ac tempestive per hujusmodi factum promoveri, si aptum, atque idoneum sit factum ad sanctissimos hos fines, si nihil in eo his finibus contrarium appareat, si analogiam habeat cum miraculis indubie talibus, si sapientum, & exercitatorum*

rum examen non refugiat, si interior etiam gratia, & benedictio Divina externum hoc medium comitetur, maxime vero si hujusmodi miraculum non tendat ad eversionem doctrinæ sufficientibus jam antea miraculis a Deo confirmatæ, neque stabiliat errores, & abusus verbo Dei contrarios, quum Deus sibi ipsi adversari nequeat. In hanc quoque rem Origines *contra Celsum* lib.1.num.51. ita præclare disserit: *Itaque si posita omni de miraculis præjudicata opinione, quæritur, bono ne, an malo consilio quis illa fecerit, ut ne aut omnia vituperemus, aut omnia tamquam Divina admiremur, & admittamus; an non perspicuum est ex Moysi, & Jesu miraculis, quibus integræ gentes constitutæ sunt, eos Divina potestate fecisse, quæ ab illis facta fuisse Scripturæ narrant? Neque enim malis artibus magicisque præstigiis constituta fuisset gens tota, quæ, despectis non solum simulacris falsisque numinibus, quæ reliqui homines colebant, sed etiam rebus omnibus creatis, ad Deum rerum omnium principium principio carentem ipsum assurgit*. Et lib.3. *contra Celsum* num.2. eumdem Celsum ita fortius premit: *Tu, qui, omnino figmenta esse putas, quæ de Jesu miraculis discipuli litteris consignarunt, & incusas eos, qui illis adjungunt fidem; quomodo res hujusmodi (quæ de Aristæa feruntur) prodigiose conficłas, fabulasque esse non judicas? Quomodo tu, qui aliis vitio das, quod Jesu miracula nulla ratione admittant, talia videris admittere, nulla allata probatione, nulloque argu-*

argumento, res illas contigisse? An Herodotum, & Pindarum putas mendaciis non fallere; qui vero mori optant pro Jesu documentis, & scripta de rebus, quas perspectas habebant, ad posteros transmittenda reliquerunt, eos pro figmentis, pro fabulis, fictisque prodigiis usque adeo decertasse, ut misere vivere, & vi e medio tolli vellent? Te ipse potius arbitrum constituens inter ea, quæ de Aristæa scripta sunt, & ea, quæ de Jesu narrantur, vide ex eventu, & ex iis, quæ ad morum emendationem, pietatemque erga summum Deum inducendam uterque fecit; an non hoc judicium ferri debeat, credendum esse non sine Deo facta fuisse, quæ de Jesu historia prodidit; non autem quæ de Aristæa Proconnesio.

At vero aliqua miraculosa prodigia ita manifesta sunt, ut de veritate eorum nemo unus dubitare possit: ita sane quando Moyses pelagi aquas divisit, atque pro suo arbitrio effecit, ut iterum unirentur; quando e percussa silice venas aquarum eduxit, terramque dehiscere præcepit, ut seditiosos in se absorberet; quando Christus Lazarum quatriduanum a mortuis suscitavit, atque se ipsum redivivum fecit, nullus dubitare potuit, quamvis Philosophus non esset, superiori Divina virtute hæc omnia contigisse.

Corollarium.

Miracula sunt efficacissimum argumentum Divinæ Revelationis.

Divina enim Revelatio est verbum divinitus, atque supernaturaliter inspiratum hominibus, in quo non solum multa ad legem naturæ spectantia continentur, sed etiam plura, quæ humana ratione cognosci, & investigari non possunt. Quare si miracula maximam efficaciam habent ad excitandam, & confirmandam fidem nostram in Deum, Deo quoque tum supernaturaliter revelanti quæ a nobis credenda, & facienda sunt, tum etiam supernaturalia revelanti, ut certam firmissimamque fidem præbeamus, nos impellere debent. Quoties ergo constet in confirmationem eorum, quæ divinitus, atque supernaturaliter revelata sunt, vera miracula patrata fuisse, nullus superesse potest viro sanæ mentis dubitandi locus vel de ipsa Divina Revelatione, vel de iis omnibus, quæ in Divina Revelatione continentur, quamvis supra rationem humanam ea sint. Hoc vero est, quod evidentissime constat; hoc est, præclara miracula patrata fuisse in confirmationem Divinæ Revelationis in Veteri Testamento contentæ, sicuti in sequenti quæstione pluribus evincemus: itaque nullo sanæ mentis dubitandi locus superest tum de ipsa Divina Revelatione Veteris Testamenti, tum de iis omnibus, quæ in ea continentur.

A R-

ARTICULUS III.

Vtrum Prophetia Dei tantum opus esse possit.

AD prophetiam inquit Sanctus Thomas 2. 2. qu.171. art.3. *propriissime pertinet revelatio eventuum futurorum, unde & nomen prophetiæ desumi videtur*. Si ergo prophetiam per id definiamus, quod ei principaliter, atque præcipue convenit, dici potest esse certam, & infallibilem cognitionem habitam per Divinum lumen futurorum eventuum, sive contingentium futurorum, quæ nullam sui determinationem habent.

Propositio. Vis prophetica homini naturalis esse non potest, sed a solo Deo est.

Prob. prior propositionis pars. Prophetica cognitio, uti jam exposuimus, circa futura contingentia potissimum versatur, quæ nullam certam determinationem habent, sed nullus est, qui sua naturali virtute cognoscere ista possit: ergo prophetia non potest esse naturalis. Prob. mi. Experientia constat cognosci a nemine certo posse, quid ipse acturus sit in iis, quæ a libera ipsius voluntate pendent, quæque nullam certam determinationem, aut conjecturam habent: ergo multo minus hæc eadem, quæ sint ejusdem naturæ, in alio cognosci possunt: ergo naturali ratione nihil prophetice cognosci potest.

2. Humano intellectui id naturaliter præsens esse non potest, quod libere futurum est, nul-

jamque sui determinationem, aut conjecturam habet: ergo per se nihil prophetice cognoscere potest. Ant. manifestum est, quia licet nonnulla conjiciendo longe prospiciamus, vel ex naturalibus caussis aliqua futura esse prævideamus; tamen illa ideo prospicimus, hæc vero prævidemus, quia in suis caussis aliquo modo præsentia nobis exhibentur: ceterum quod omnino libere futurum est, neque ab aliqua conjectura pendet, nullo modo nobis præsens esse potest. Prob. con. Ut aliquid cognoscamus, idea illius menti nostræ obversari debet: ergo si ea, quæ omnino libere futura sunt, neque ab aliqua conjectura pendent, nullo modo nobis præsentia esse possunt, neque etiam possibile est, ut idea illorum menti nostræ obversetur: ergo fieri non potest, ut ea naturaliter cognoscamus: ergo nihil prophetice cognoscere per nos possumus.

Prob. altera pars. Per prophetiam eæ res cognoscuntur, quæ non solum nondum evenerunt, quando cognoscuntur, sed etiam neque ex naturalibus caussis, neque ex ea conditione rerum, quæ sensui, aut rationi obversatur, conjici possunt; sed hæc solus Deus cognoscere valet: ergo solus Deus prophetiæ auctor esse potest. Prob. mi. Hæc talia sunt, ut in suis caussis ab humana mente prævideri non possint: ergo solus Deus ea præcognoscit, quia sicut omnia, quæ sunt, a Deo habent, ut sint: ita etiam quæcumque futura sunt, a Deo habent, ut futura sint: ergo hæc futura,

de

de quibus loquimur, ſolus Deus tum quoad ſubſtantiam, tum quoad modum, quo eſse poſsunt, cognoſcit.

2. Eſse primum, & præcipuum auctorem rerum omnium ſoli Deo convenit: ergo etiam ipſi ſoli convenit, ut cognoſcat, quæ libere futura ſunt. Prob. con. Eorum, quæ non cognovit, antequam eſsent, auctor primus, & præcipuus eſse non poteſt: ergo ſi rerum omnium eſt auctor primus, & præcipuus, omnia quoque, antequam evenirent, noviſse debet: ergo.

3. Deus eſt ens infinite intelligens, & non ſolum ſe ipſum perfecte cognoſcit, ſed etiam omnia alia a ſe in ſua eſsentia clare, atque diſtincte ex ea quoque parte videt, ſecundum quam ſingula ſuam propriam rationem habent: ergo nihil eſt, quod eum latere poſsit; ſed hoc cognitionis genus ſoli Deo convenit: ergo ſolus Deus cognoſcere poteſt, quæcumque futura ſunt.

COROLLARIUM I.

Prophetiæ ergo ſunt efficaciſſimum argumentum Divinæ Revelationis.

Illud verbum divinitus inſpiratum eſſe, dubitari non poteſt, quod in ſe habet evidentiſſima argumenta ſuæ divinitatis; ſed inter alia argumenta divinitatis prophetiæ ſunt argumentum evidentiſſimum, atque præcellentiſſimum, quia a ſolo Deo ex eſſe poſſunt, ſicuti jam evicimus: ſi ergo prophetiæ in ea Re-

velatione contineantur, quam Divinam esse propugnamus, nullus amplius superest de ejus Divinitate dubitandi locus: revera autem eas contineri in hac Revelatione, evidenter in sequenti quæstione ostensuri sumus: ergo prophetiæ sunt efficacissimum argumentum Divinæ Revelationis.

Deinde nonne per prophetias fides nostra in Deum efficacissime excitatur, vel excitata confirmatur? ergo quum per fidem Deo revelanti assentiamur, & prophetiæ in verbo revelato contineantur, prophetiæ apertissimum argumentum Divinæ Revelationis esse debent.

Corllarium II.

Ille ergo vehementer errat, qui Divinæ Revelationis nullum certum argumentum dari posse effutit.

Doctrinæ sanctitatem, miracula, atque prophetias Divinæ Revelationis evidentia argumenta esse, quia nihil horum est, quod supra facultates hominum positum non sit, jam demonstravimus. Inde vero est, ut eam doctrinam divinitus inspiratam esse censeri debeat, quæ & in omnibus suis capitibus manifestam sanctitatem præsefert, & in ejus confirmationem multa, atque evidentissima miracula patrata fuere, & per illam plura prædicta esse constat, quæ nonnisi Deus novisse poterat. Hæc vero sunt, quæ tum in Veteri, tum Novo Testamento continentur, uti nunc demonstraturi sumus.

PARS

PARS SECUNDA

DE ARGUMENTIS, QUÆ HABET SUÆ DIVINITATIS REVELATIO VETERIS TESTAMENTI.

DOctrinæ Sanctitatem, Miracula, atque Prophetias, manifeſta argumenta eſse, quæ doctrinæ Divinam inſpirationem ſuadeant, præcedenti quæſt. ſuperioris partis evicimus. Nunc ergo, ut veteris Teſtamenti libros divinitus inſpiratos eſse conſtet, in iiſdem doctrinæ ſanctitatem occurrere, quæ per miracula etiam, & Prophetias confirmata ſit, demonſtrandum eſt. Hoc vero præſtabimus ſequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De Legis Veteris Præceptorum Natura, atque Sanctitate.

P*Ropoſitio*. Quæ in Pentateucho præcepta continentur, tum quoad Religionem recte, ac ſancte informant homines, tum quoad mores ſane, & pie inſtituunt, neque cum iis

Legislatorum sanctiones, aut Philosophorum monita comparari possunt.

Prob. propo: quoad priorem partem. Et quidem omnis vera, atque sana Religio tribus potissimum constare debet; hoc est, recta, atque vera de Deo sententia, piis in eumdem affectibus, atque exteriori honorificentissimo cultu: hæc autem lex vetus in se habet. Et certe nullus unquam præ Moyse majori dignitate, atque orationis efficacia ea tradidit, quæ spectant ad Dei fidem, majestatem, & cetera omnia attributa illius: modo ut Ens infinitum, & immutabile, modo ut sapientissimum, atque omnia videns, modo ut omnipotens, sibi sufficiens, atque beatissimum, & rerum omnium creatorem, ac gubernatorem exhibet. Hinc ista apud Moysem Dei vocabula sæpe occurrunt; hoc est, *Jehova*, quod Dei nomen ineffabile est, ejusque Divinam essentiam exprimit, *Elohim*, quod Dei jus, imperium, atque auctoritatem in omnia significat, *El*, quod Dei fortitudinem, atque potentiam peculiari ratione declarat, *El Sabbaoth*, quod significat ex Divino nutu tam exitus bellorum, quam regnorum sortem pendere. Summam quoque Dei majestatem exprimit Moyses, quando omnia a Deo solo nutu suæ voluntatis facta fuisse hisce verbis significat: *fiat*; *& factum est*; sanctitatem autem, veritatem, atque justitiam illis aliis: *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis absque ulla iniquitate, justus, &*

rectus

rectus : *Deuteron.*32. v.4. unitatem, potentiam, providentiam, atque fortitudinem hac loquendi ratione : *videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me* ; *ego occidam, & vivere faciam* ; *percutiam, & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſſit eruere*. *Deuteronom.* eodem cap. v.19. Quæ ſane omnia, aliaque multa hiſce ſimilia, quæ in Veteris Teſtamenti libris frequenter occurrunt, ſi recte perpendantur, tam ſublimem, atque præcellentem de Deo ideam nobis ingerunt, ut ſupernaturali lumine inſpiratam fuiſſe dubitari non poſſit.

Piæ quoque, ſinceræ, atque teneriores affectiones erga Deum licet in pluribus præceptis Legis Veteris ſæpius repetitæ contineantur; in hoc uno tamen præcellentiori quodam modo expreſſæ declarantur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego tibi præcipio hodie, in corde tuo. Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos. Scribeſque ea in limine, & oſtiis domus tuæ*. *Deuteronom.* 6. v.5. & ſeq. Hinc eſt, quod in hac lege tum ad Dei timorem, atque reverentiam, tum ad ſummam fiduciam ponendam in præſidio illius, tum ad devotum animum gerendum erga voluntatem ejus, perpetua eſt exhortatio: *Et*

nunc Israel (legitur Deuteron. 10. v. 12. & seq.) *quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: custudiasque mandata Domini, & cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi? En Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, terra, & omnia, quæ in ea sunt. Et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram, ne induretis amplius: Quia Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera .... Dominum Deum tuum timebis, & ei soli servies: ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius. Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia, & terribilia, quæ viderunt oculi tui*. Et cap. 32. v. 3. & seq. *Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia*. Et tandem cap. 23. vers. 29. *Beatus es tu Israel: quis similis tui, popule qui salvaris in Domino? Scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis*. Non solum autem vulgaris perfectio, atque sanctitas, sed supereminens, & præcellentissima omnibus ubique injungitur: *perfectus eris* (ita præcipitur *Deuteron.* 18. v. 13.

v.13.) *& absque macula, cum Domino Deo tuo,* Et *Levitici* 19. v.2.: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

Demum externi cultus officia quoque omnia ut cum summa veneratione peragantur, in Veteri Lege præceptum fuisse novimus. Hinc constitutum fuit, ut etiam in communi sermone reverentia Dei nomini exhiberetur, ut vota, atque Sacrificia offerrentur, ut simul cum puritate animi etiam castimonia corporis ad aras afferretur, ut Deo non offerretur quod esset conditionis deterioris: hinc tot aliæ sancitæ leges, quæ ad Divinum cultum internum, atque externum referuntur, quas omnes annumerare velle, nimis longum esset: hinc demum contra idola, & ritus quoscumque superstitiosos ita sapientissime præcautum fuit *Deuteronom.* 10. v.9. *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationem illarum gentium.* Et v.14. ejusdem capitis: *Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures, & divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es.*

Probatur altera pars: hoc est, in Veteri Lege etiam quoad mores pie sancteque homines institutos fuisse. Quandoquidem non solum, uti omnes fatentur officia justitiæ, quæ internum quoque animum moderantur, ac regunt, diligenter a Moyse hisce verbis commendata sunt: *non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, nec ancillam, non bovem, non asinum, nec*

 omnia,

omnia, quæ illius sunt. *Exodi* v.17. sed etiam sæpe, ac multum, quæ ad charitatem pertinent, renuentibus licet, Religionis Revelatæ contemptoribus. Hoc enim unum præceptum: *Diliges proximum tuum, sicuti te ipsum*, quod Moyses sæpius insinuavit, omnia complectitur, quæ ad charitatem spectare possunt. Verum eo tantum generali præcepto Moyses contentus non fuit, sed & alia quoque multa, quæ ad charitatem pertinent, distincte edisseruit: *Vnusquisque* (ita Levitici cap.19. habet) *patrem suum, & matrem suam timeat... Quumque messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, neque remanentes spicas colliges. Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester. Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum... Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimas eum. Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: juste judica proximo tuo. Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges ami-*

cum

cum tuum, ficut te ipfum. Ego Dominus. Si autem hæc omnia præcepta ad charitatem una cum aliis virtutibus non funt maxime compofita, non fane video quæ tandem effe poffint. Quid ifta *Deuteron.* cap.22. v.1. & feq.? *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis; fed reduces fratri tuo. Etiamfi non eft propinquus frater tuus, nec nofti eum; duces in domum tuam, & erunt apud te, quandiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de afino, & de veftimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: fi inveneris eam, ne negligas quafi alienam. Si videris afinum fratris tui, aut bovem cecidiffe in via, non defpicies, fed fublevabis cum eo.* Nonne ifta funt fublimioris præcepta charitatis? At quid in re tam manifefta amplius immoramur? Sicuti vero conftat, tum interioris juftitiæ, tum charitatis præclara præcepta Moyfem conftituiffe, idem quoque manifeftum eft & de omnibus aliis virtutibus, quibus hominum mores recte inftitui poffunt. Legantur libri *Exodi* a cap.20. ufque ad 23., *Levitici* cap.18., 19., 20., & 26., *Deuteron.* cap.2., 4., 6., 7., 9., 10., 11., 20., 28., & 30.

Dices. Hebræi neque futuræ vitæ, neque animæ immortalitatis aliquam cognitionem habuere ante Babylonicam captivitatem: ergo per Veterem Legem non fatis inftructos in Religione fuiffe, dici debet. Prob. ant. Moyfes in toto *Pentatheuco* alterius vitæ ftatus nullam mentionem fecit. Hinc ante captivitatem Babylo-

bylonicam non fuit, qui pro sua lege mortem oppeteret, contra ac post captivitatem Babylonicam contigit. Hoc autem, evidenti argumento esse potest, non semper fuisse Hebræos persuasos de immortalitate animæ, deque statu alterius vitæ.

R., alterum vitæ statum post præsentem remanere, atque animam immortalem esse, Moysem uti rem apud omnes certam supposuisse. Hinc neque alterius vitæ status, neque immortalitatis animæ facta mentione, hæc de Abrahami morte tradit Genes. 25. cap. v. 8. *Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum congregatus est ad populum suum.* Si ergo ad populum suum Abrahamum post mortem congregatum fuisse, Moyses docuit, post eam quoque tum Abrahamum, tum alios omnes, qui ante ipsum mortui erant, adhuc superesse, necessario supponere debuit; sed hanc suppositionem de eorum corporibus facere non poterat: ergo eorum animas superesse censuit. *Congregatis autem cunctis liberis ejus* (hæc de Jacobi luctu leguntur *Gen.* cap. 37. v. 25. quando filium suum Joseph a bestiis voratum esse credebat, ut lenirent dolorem patris) *noluit consolationem accipere, sed ait: descendam ad filium meum lugens in infernum*: ergo sicuti filium post mortem adhuc superesse credidit Jacob, ita quoque futurum credidit, ut idem sibi eveniret. Hinc etiam moriturus dixit: *Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in*

in

in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi. Gene. cap.49. v.29. ergo cum superstitibus patribus se quoque a morte superstitem congregandum esse censuit. Et re quidem vera eorum se Regem esse, qui amplius non existunt, nemo cum veritate dixerit: ergo quum Deum Moysi ita loquutum fuisse *Exodi* cap.3. v.6. legamus: *ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob;* Abrahamum, Isaacum, & Jacobum ipsa morte quoad corpus tantum fuisse deletos, Dei testimonio Moyses evincit.

ARTICULUS II.

Num a Sanctis Veteris Testamenti hominibus vera miracula patrata fuerint.

HOC alterum, quod petitur a miraculis, firmissimum argumentum est ad demonstrandam veritatem Divinæ Revelationis, quæ in Sacris Libris continetur. Etenim quum solus Deus efficere miracula possit, si certissime constet, uti revera constare in hoc articulo demonstraturi sumus; sanctos homines in confirmationem suæ Divinæ missionis, atque eorum, quæ dicebant, vera, & multiplicia miracula petrasse, jam nullus dubitandi locus superest, Divino spiritu afflatos fuisse loquutos.

Et re quidem vera quum miracula solius Dei virtute fieri tantum possint, uti jam demonstravimus, per ea de quadam superiori, ac super-

supernaturali virtute peculiariter admonemur. Quia vero Deus, nisi summe verax admitti non potest, alioquin non esset perfectissimus, consequens indē fit, Deum in confirmationem falsitatis miracula facere non posse; ideoque non est, cur dubitemus, num ea doctrina divinitus inspirata sit, quæ frequentissimis, atque certissimis est confirmata miraculis.

Propositio. Divina inspiratio librorum Testamenti Veteris multiplici miraculorum genere confirmata fuit.

Prob. propositio; sed quoniam singula miracula percensere velle, quæ facta fuisse leguntur in confirmationem Divinæ inspirationis, nimis longum esset, ideo ea præcipue attingemus, quibus Moyses, suam Divinam missionem confirmavit, & nonnulla quoque alia summatim percurremus. Ea vero omnia, quæ impii homines ad naturales caussas referre studuerunt, vera miracula fuisse, sola eorum, quæ in Sacris Literis leguntur, expositio demonstrat; ita ut hujusmodi opinio potius risu sit excipienda, quam indigeat confutatione. Quum ergo Moyses a Domino in flamma rubi sibi apparente Israeliticum populum ab Ægyptiaca servitute a se liberandum intellexisset; statim contra reposuit futurum esse, ut Israelitæ nullam fidem sibi adhiberent, atque dicerent: *non apparuit tibi Dominus*. *Exodi* 4. verum tribus insignibus miraculis omnis dubitatio illius sublata prorsus fuit, quia virgam, quam manu tenebat, primo in colubrum, dein-

de

de iterum in virgam Domini virtute conversam esse, manumque suam modo repente lepra coopertam, modo ut antea sine lepra, & fluvii aquam in sanguinem mutatam conspexit, quo certius cognoscere posset, quæ in favorem Israelitarum Domini virtute facturus ipse esset. Ad Pharaonem ergo cum Aarone fratre suo profectus Domini mandata, quibus, ut populum Israelitarum dimitteret, illi præcipiebatur, incunctanter exponit. Reluctantem Pharaonem flagellis terret: nam ad nutum Moysis virga in serpentem vertitur, aquæ fluminis in sanguinem abeunt, ac putrefiunt, & moriuntur pisces, quotquot in iisdem reperiebantur: modò efficit, ut fluvios ranæ deserant, & universam terram Ægypti occupent: modo oranti Pharaoni, ut easdem a se, & a populo suo avertat, acquiescit, & fusis ad Deum precibus, ut omnes moriantur, obtinet: nunc pulverem percutit, & per omnem terram Ægypti vertitur in sciniphes: nunc domus Ægyptiorum, & universa terra, quam inhabitant, ut omni genere muscarum, repleantur, facit, terra autem Gessen, in qua Israelitæ habitabant, huic malo obnoxia non sit: nunc muscas omnes ita avertit, ut ex eis ne una quidem in terris Ægyptiorum supersit. Verum prodigiis finem hic non ponit, sed obstinationem Pharaonis longe gravioribus expugnare contendit: ut de Divina in se operante virtute certius constare possit, in equos, asinos, camelos, boves, atque oves Ægyptiorum pestem immittit, & om-

& omnia moriuntur, Iſraelitæ autem hujus calamitatis omnino immunes evadunt: cinerem de camino in altum tollit, & ulcera veſicarum turgentium in hominibus, atque jumentis intumeſcunt, manum in cœlum tollit, atque in illud virgam levat, & tonitrua erumpunt, grando inſtar pluviæ præcipitat, fulgura ſuper univerſam terram Ægypti diſcurrunt, quibus fit, ut pereant tam homines, quam bruta, quæ erant in agris, univerſaque depopulata remaneant: quod ſane prodigium ut evidentius conſtet, & Iſraelitæ in terra Geſsen nihil mali patiuntur, & Ægyptii tonitruis, atque grandine terrentur, quoad uſque Moyſes ſuis ad Deum precibus tam grave malum ab iiſdem non avertat. Hæc omnia quum Pharaonis obſtinatum animum non emolliant, Moyſes ulterius quoque progreditur: nam virgam ſuam ſuper terram Ægypti extendit, & urens ventus tantam multitudinem locuſtarum in eam aſportat, ut univerſam ſuperficiem illius operiant, devorent herbam terræ *& quidquid pomorum in arboribus fuit; quæ grando dimiſerat, nihilque omnino virens relictum eſt in lignis, & in herbis terræ in cuncta Ægypto. Exodi* 10. v. 15. Prodigium autem prodigio cumulatur, dum iterum vento imperat, ut arreptas locuſtas in mare rubrum abripiat. Tandem manum ſuam Moyſes in cœlum levat, & horrore tanto tenebrarum Ægyptii omnes occupantur, ut ſpatio trium dierum nemo alterum viderit, aut ſe loco moverit, quum tamen interea Iſrae-

Israelitæ in iisdem locis nihil tale sustinerent.

Verum enim vero hisce omnibus, quod in divisione maris rubri contigit, longe præcellentius est: primo enim quum *extendisset Moyses manum suam super mare, abstulit illud Dominus, stante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in siccum, divisaque est aqua. Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus a dextera eorum, & læva. Exodi* 14. v. 21. & 22. Iterum autem *quum extendisset Moyses manum suam contra mare reversum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involuit eos Dominus in mediis fluctibus. Reversæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eis. Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro a dexteris, & a sinistris*. Eodem cap. v. 27. & seq.

Vix eum ex manibus Ægyptiorum tam miraculose Israelitæ sese eripuerant, quum rursus duobus aliis insignibus miraculis expeditionem Moysis Deus testatam esse voluit. Quandoquidem dum Israelitæ in deserto morarentur, juxta ac prædictum a Moyse fuerat, fecit Deus, ut carnes, atque manna ad vescendum de cœlo illis pluerent, & in Raphidim aquæ inopia laborantibus, percutiente Moyse petram Horeb, aquæ fluxerunt, sicuti legitur *Exodi* 16. & 17. capite. Totum hoc mira-

miraculorum genus, aliaque nonnulla, quæ in hac expeditione Moysis Dei virtute patrata fuere etiam Sanctus Augustinus prosequutus fuit lib. 10. *de Civitate Dei* cap. 8., ut evinceret præclaris a Deo miraculis fidem piorum fuisse confirmatam: *Illa vero*, inquit, *quæ, & quanta sunt, quæ jam per Moysem populo Dei de jugo servitutis eruendo in Ægypto mirabiliter gesta sunt, ubi Magi Pharaonis, hoc est, Regis Ægypti, qui populum illum dominatione deprimebat, ad hoc facere quædam mira permissi sunt, ut mirabilius vincerentur? Illi enim faciebant veneficiis, & incantationibus magicis, quibus sunt mali angeli, hoc est, dæmones deditі: Moyses autem tanto potentius, quanto justius in nomine Domini, qui fecit cælum, & terram, servientibus Angelis, eos facile superavit. Denique in tertia plaga, deficientibus Magis decem plagæ per Moysem magna mysteriorum dispositione completæ sunt, quibus ad Dei populum dimittendum Pharaonis, & Ægyptiorum dura corda cesserunt. Moxque pœnituit, & quum abscedentes Hebræos consequi conarentur, illis diviso mari per siccum transeuntibus, unda hinc atque hinc in sese redeunte cooperti, & oppressi sunt.*

His inusitatis prodigiis, quibus Deus Missionem Moysis omnibus testatam esse voluit, addenda sunt alia permulta Josue nempe, Gedeonis, Samuelis, Eliæ, Elisei, Isaiæ, quorum opera, evidentia prodigia patravit Deus, quæ, ut notissima, superfluum est hic recensere.

Si

Si autem quomodo, & qua ratione, quanto tempore, ac numero, quibus in circumſtantiis, quam ordinate, atque mutuo inter ſe nexu, quemque ob finem, hæc miracula facta fuiſse, ac tandem quem effectum habuerint, expendamus, adhuc certius de eorum Divinitate conſtabit, tantoque minus cavillandi anſa ſupererit, quin præclariſsima, atque evidentiſsima argumenta fuerint illius Divinitatis, quæ in doctrina Veteris Teſtamenti mirum in modum elucet. Tum Moyſes, tum Joſue, tum Samuel, tum Eliſeus, tum Iſaias, laudata miracula fecerunt, quo nullus errori locus occurrere poſset, effeceruntque ut non ſolum qui ipſis adhærebant, ſed etiam, qui adverſabantur, eorumdem teſtes eſsent.

Articulus III.

Num veræ Prophetiæ in veteri Teſtamento contineantur.

Quid veræ Prophetiæ nomine intelligatur, jam conſtituimus, ſimulque demonſtravimus, Prophetiam ſupra hominum cognitionem eſse, & a ſolo Deo proficiſci poſse. Unde jure optimo a Tertulliano dictum fuit *Apologetici* Cap. 20. *idoneum teſtimonium Divinitatis veritas divinationis*; & a S. Hieronymo in *Commentario in Danielem: Confitentur Magi, confitentur Arioli, & omnis ſcientia ſæcularis litteraturæ præſcientiam futurorum non eſſe hominum,*

minum, *sed Dei*: *ex quo prophetas Dei spiritu loquutos*, *quia futura cecinerunt*. Hoc ergo est ultimum argumenti genus, quo librorum Veteris Testamenti divinitatem demonstrare aggredimur. Quandoquidem quum vim propheticam homini naturalem esse non posse, sed a solo Deo dimanare, jam evicerimus, consequens inde est, eos libros, in quibus multa prophetice prævisa leguntur, a Deo inspiratos fuisse. Id ergo tantum demonstrandum modo superest, in Veteri Testamento multa prophetica oracula contineri. Quia vero Prophetiæ, quæ in libris Veteris Testamenti leguntur, tam variæ sunt, atque multiplices, ut si singulas recensere vellemus, diutius quam par est, hac in re immorandum esset, ideo præcipuas tantum persequemur.

Propositio. Plures in Veteris Testamenti libris Prophetiæ continentur, quæ Divinam inspirationem illorum demonstrant.

Prob. propositio. Ab antiquioribus prophetiis ut exordiamur: Noe universale diluvium multo ante tempore, Deo revelante, prænovit, arcamque construxit, in qua cum suis etiam ipse salvus evadere posset. *Genesis* cap.6. Abraham deinde surrexit Propheta magnus in Domino, qui exaltationem sui nominis, multiplicationem sui generis, Divinasque benedictiones, quibus replendus erat ab eo usque tempore, quo e patria sua egressus fuit, spiritu prophetico prævidit. Cap.12. Isaac illi successit, qui & multiplicationem sui seminis

ad

ad instar stellarum cœli, vel quasi pulveris terræ, Deo revelante prænovit, & futurum esse vidit, ut in multas gentes dominaretur, sicut Deus Abrahamo patri suo antea spoponderat. Cap.26. & 28. Jacob autem non solum, quæ filiis suis eventura erant, moriturus prædixit Cap.49. sed etiam Ephraim filium minorem Josephi Manasse ejusdem filio majori prælatum iri sua benedictione prænunciavit Cap.48. Quæ vero, & quanta sunt, quæ Joseph spiritu prophetico intellexit? Eunuchis in carcere secum degentibus nonne quid eventurum esset præsignificavit, alteri quidem, ut supplicio crucis vitam finiret, alteri vero, ut in pristinam dignitatem restitueretur? Utrumque autem contigit, juxta ac prædictum fuerat Cap. 40., Iis quoque omnibus, de quibus Joseph quoad futuram Ægypti famem Pharaonem monuit, eventus omnino respondit. Cap.41. Quam multa autem Moyses quoque prædixit, & sicut prædixit, evenerunt? Nonne quidquid Moyses Pharaoni, atque Israelitico populo prædixit, contigit, sicut prædixerat, quamvis de rebus, quæ essent supra naturæ vires, ageretur? Nonne idem Moyses morti proximus varias, multasque vicissitudines, quæ in suo populo futuræ erant detexit, atque indicavit? *Deuteronom.* Cap.17., & seq. A Josue prophetatum fuisse legimus, maledictum a Domino futurum eum esse, qui urbem Jerico reædificaret, atque amissurum primogenitum filiorum suorum, dum illius fundamenta poneret, & no-

& novissimum, dum portas extrueret. *Josue* Cap. 4. Post intervallum autem plurimorum sæculorum hæc omnia Hielo contigerunt, quemadmodum ex historia libri III. *Regum* perspicuum est: *In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jerico: in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus juxta verbum Domini, quod loquutus fuerat in manu Josue filii Num.* Multa & quidem plurima eorum, quæ a Prophetis sive majoribus, sive minoribus prædicta sunt, utpote omnibus nota, supervacaneum duximus hic recensere.

Nunc autem id unum observatum volumus, antequam contra Deistas concludamus, hoc est, manifestum argumentum Divinæ revelationis in Prophetiis semper occurrisse. Nam eorum, quæ Sancti viri prædixerunt, quædam, dum adhuc ipsi viverent, vel post parvum a prædictione tempus, contigere. Quo fit, ut ii quoque, qui Prophetarum tempore vivebant, illorum Divinam inspirationem perspectam habere potuerint. Qui autem successerunt, quamvis ea adimpleri suis oculis non viderint, quæ Prophetæ prædixerunt; tamen inferioris conditionis dici non possunt, tum quia fere omnia adimpleta vident, tum quia de adimpletione eorum non minus certi esse debent, quam ii fuerunt, qui adimpleta conspexere.

Futura ergo contingentia, quæ ab omni conjectura remota sunt, solus Deus nosse potest;

test; sed multa futura contingentia ab omni conjectura prorsus remota a Sanctis Prophetis longe ante prævisa fuisse, ex eorum scriptis manifeste constat: ergo quæ ab illis scripta sunt, Divino spiritu afflati conscripserunt: ergo in Veteris Testamenti libris Divina Revelatio continetur.

Articulus IV.

Num Scripturæ veteris Testamenti immutatæ, atque corruptæ omnino fuerint.

Quænam potissimum Divinarum Scripturarum versio sit, ad quam veluti ad regulam ceterarum omnium reliquæ expendi debeant; vel num Hebræi suum textum quoad aliqua malitiose corruperint, hic disputare non aggredimur: nam talia hæc sunt, de quibus inter homines Christiani nominis quæstio esse solet. Nos vero contra eos agere instituimus, qui Christiani nominis se quidem esse fingunt, revera tamen nullam Religionem habent, Revelatam autem aperte contemnunt. Quapropter quum Divinæ Revelationis certissima argumenta, quæ nullo modo eludere possunt, sibi opponi videant, atque etiam multa eorum, & quidem efficacissima, in ipsa Divina Revelatione contineri, negare non possint, eo tandem sese recipiunt, ut quæ nunc Divina Revelatio supereſt, ideo immutatam, & corruptam esse

 dicant,

dicant, quia humanæ traditioni innixa fuit, a qua nihil certi, & explorati haberi potest. Hac vero de caufsa toti in eo sunt, ut quæ hominum traditione constituuntur, omnia incerta efse contendant.

Propositio. Judæis a Deo facta Revelatio neque immutata, neque corrupta fuit.

Prob. propositio. Divina Revelatio, quam modo habemus, apertifsima argumenta Divinitatis in se ubique continet, uti jam demonstravimus: ergo neque immutata, neque corrupta fuit. Prob. conf. Si id, quod divinum est, mutetur, atque corrumpatur, ipsa corruptione amittit argumenta Divinitatis, quæ in se antea habebat: ergo si ea Revelatio, quam modo habemus, apertissima argumenta Divinitatis in se ubique continet, neque immutari, neque corrumpi potuit.

2. Divinæ Scripturæ Veteris Testamenti neque simul omnes, neque sensim singulæ immutari, aut omnino corrumpi potuerunt: ergo. Prob. ant. Simul quidem omnes immutari, aut omnino corrumpi non potuerunt, quia necesse fuifset, ut nova, & alia, ac antea, Religio apud Judæos institueretur: quando autem contigit, vel qua ratione, aut per quem tandem factum fuit, ut Judæi a pristina Religione defecerint, atque diversam amplexi fuerint? Neque etiam sensim Divinæ Scripturæ immutari, aut omnino corrumpi potuere, quia immutatio, atque corruptio, quæ sensim fit, neque ordi-

ordinata esse, neque in iis, in quibus contigit, aptum ordinem relinquere potest: si ergo Veteris Testamenti Sacræ Litteræ sibi invicem ordinatæ sunt, hanc mutationem eas non subiisse certum est.

3. Si Sacræ Litteræ legantur, nullum in iisdem essentialis mutationis, aut corruptionis vestigium occurrit: ergo. Prob. ant. Quæ essentialiter mutata, aut corrupta sunt, multa in se habeant oportet, quæ sibi contraria sint, vel saltem reliquisnon conveniant; atqui nihil tale occurrit in Sacris Litteris: ergo. Prob. mi. Et primo quidem, *Pentateuchum* esse opus, quod in omnibus suis partibus sibi mutuo respondeat, aperta res est. *Deuteronomium* ad *Numeros*, *Leviticum* ad *Exodum*, *Exodus* autem ad *Genesim* ducit, unumque cum altero ita colligatum est, ut a se invicem omnino pendeant. *Pentateuchus* vero veluti quoddam centrum est, ad quod omnes alii Sacri Libri referuntur, ut tum historicos, tum prophetarum libros legenti manifeste constabit: ergo.

4. Populum Hebraicum Divinis Scripturis fuisse omni tempore immutabiliter addictum, nemo in dubium revocare potest: nam in variis suæ fortunæ casibus videre eum est semper occupatum in Lege, quam accepit, semperque instructum in Prophetis, qui ad ipsam Legem provocant. Secum eam defert, quocumque propter sua infortunia ducitur; non solum pro suæ Religionis, morumque certissi-

ma regula, sed etiam eorum omnium, quæ ad familiarem, civilem, atque politicam administrationem spectant, eamdem habet: ut illam tueatur, supplicia, & mortem sustinet, sanctosque libros, quos apud se retinet, summo sibi solatio esse profitetur.

Quod autem hi libri (inquit S. Justinus in Cohortat. ad Græcos num. 13.) *qui Religionis nostræ proprii sunt, etiamnum apud Judæos asservantur, id providentiæ Divinæ nobis consulentis opus existit. Nam ne in Ecclesia proferentes locum suspicandæ fraudis præbeamus hominibus nobis obtrectandi cupidis; ex Judæorum Synagogis eos proferri postulamus, ut ex ipsis illis libris, qui adhuc apud eos asservantur, clare & aperte nostras esse pateat leges, quæ sanctis viris ad doctrinam scriptæ sunt.*

At singulas ætates breviter percurramus, videamusque, num in aliqua earum Divinorum librorum immutatio, aut corruptio fieri potuerit. Moyse vivente, atque Judicibus, hoc contingere non potuit: etenim, ut Divinam legem assidue meditarentur, omnibus Moyses præceperat *Deuteron.* 6. v. 6. & seq. Sub Judicibus autem nihil aliud, quam observantia præceptorum Moysis in mentem populi sæpe revocatur. *Josue* cap. 1. v. 8. 13., 17. cap. 8. v. 31., cap. 11., 15., 18., 24. Etiam postquam duæ Tribus ab aliis decem discesserunt, Sacræ Litteræ immutari, aut corrumpi non potuere, quia si regnum Israel libros sanctos depra-

depravasset, Judæ regnum non solum æquo animo non tulisset, verum etiam de tam impio facinore graviter conquestum esset: si autem Judæ regnum; nonne Israelitæ idem præstitissent, suæque discessionis propugnandæ opportunam occasionem inde accepissent? Babylonicæ captivitatis quoque tempore contra Sacros Libros aliquid intentatum non fuit: nam Judæi, qui in sua patria remanserunt, eorumdem exemplaria a suis Majoribus accepta summa veneratione custodiere, atque illorum ope facile detegere potuissent, si quid in Sacris Libris per manum alienam immutatum esset. Sacerdotes autem, & Levitæ in captivitate detenti & Hymnorum, qui in Templo cani solebant, rememorati sunt, & ad eosdem canendos etiam alios invitabant. *Psalmo* 137. Quid? Nonne Judæi propter peccata sua, atque transgressionem Divinæ legis tanta sibi mala contigisse confessi sunt? *Baruch* cap. 2. & 3. Nonne Daniel prophetias Jeremiæ apud se retinebat? *Danielis* cap. 9., atque, ut secundum Legem Moysis in impios senes ageretur, effecit? *Danielis* 13. v. 62. Idem quoque judicium esto de Sanctis libris tum post Babylonicam captivitatem, quia, ut videbimus, tunc potissimum per Esdram si aliqui errores in quibusdam codicibus irrepserant, omni ex parte emandati fuere, tum postquam Judæi, destructo imperio Persarum, respirare cœperunt a pristinis malis: nam circa ea tempora Sacri libri in Gen-

 tium

tium quoque cognitionem venere; tum post profanationem Templi ab Antiocho factam, quia contra Antiochum idolatriam in Judæos inducentem: *multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda: & elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis: & noluerunt infringere Legem Dei sanctam, & trucidati sunt* 1. *Machab.* 11. v. 65. & 66.; tum demum postquam Judæi Romanis vectigalia pendere debuerunt, quia diversitas sectarum, quibus tunc Synagoga scissa erat, impedimento fuisset, ne Sacri libri depravarentur. Quum enim apud Sadducæos, Hemorobaptistas, Pharisæos, atque Essenios libri Sancti eodem in pretio æque essent, nemo eorum pati potuisset, ut aliqua in iisdem corruptio fieret.

Quæ autem antiquissimis illis, difficillimisque temporibus Sacrorum librorum corruptio facta non fuit, multo minus fieri potuit, postquam Christus suam in mundo Religionem constituit. Nam si Christiani (quod sane contingere nullo modo poterat) Sacras litteras corrupissent, anne Judæi iisdem semper infensi non contra clamassent? Nullo ergo tempore aliquam in Sacris libris essentialem immutationem, aut corruptionem contigisse, nimis manifestum est.

Dices. Maxima distantia temporis a facta revelatione Veteris Testamenti impedit, ne nos de ea certi esse possimus: ergo. Prob. ant.

ant. Id certo scimus, quod nostris temporibus proximum est; quæ autem remota sunt a nobis, certo cognoscere non possumus, sicut qui debilem videndi facultatem habet, a se longe posita distincte perspicere non valet: ergo.

Hæc Deistarum argumentatio, quam modo proposuimus, ea est, in qua præcipue suæ victoriæ spem maximam reponunt, atque eadem sæpe utuntur, ut omnem certitudinem Divinæ inspirationis, quæ tum in Veteri, tum in Novo Testamento continetur, e medio tollant.

Quapropter respondemus, ex eorum argumentandi ratione consequi, nihil certi nos habere posse de iis, quæ superioribus temporibus gesta esse dicuntur, ac ita non esse, cur regna, civitates, & familiæ suam originem tueantur, cur Philosophi posteris tradant, quod tanto labore, atque industria detexerunt, cur Scriptores antiqua monumenta pervolvant, cur de religione, moribus & institututis Majorum nostrorum nos inquiramus. Omnia, quæ semel præteriisse constat, in tanta dubitatione posita erunt, ut de iis nihil certi pronunciare possimus. Nulla ergo fides habenda conventionibus, quas Majores nostri inierunt: omnia monumenta, quo antiquiora, eo magis contemnenda erunt: singulorum auctoritas despicienda: demum quæ ante nostra tempora contigerunt cuncta ancipiti Pyrrhonismo involvantur oportet. Quis autem non videat hominum

insanientium hæc deliria esse ? Quapropter ut aliqua de re certi simus, ejus testes oculares, aut contemporaneos nos fuisse non oportet, sed satis est, ut aliorum, qui omnem fidem mereantur, testimonio comprobata sit: ita enim illa quoque, quæ a nobis longe posita sunt, videre possumus.

Cont. Auctoritate traditionis certo cognoscere non possumus, quæ longe remota sunt a nobis: ergo. Prob. ant. Per traditionem demonstrari non potest origo rerum, sed solummodo longinquitas temporis, quo a nobis distant: ergo ne aliorum oculis nos videre posse affirmemus, dicendum est, per traditionem nos ea perspicere non posse, quæ distant longinquitate temporis.

R. per traditionem tam longinquitatem temporis, quam originem rerum detegi posse: in traditione enim testes oculati, & contemporanei continentur, quorum auctoritate non solum longinquitas temporis, sed etiam origo rerum certo definiri potest. Immo quum cognitio unius ab alterius cognitione pendeat, consequens inde est, ut per traditionem non minus longinquitatem temporis, quam originem rerum perspectam fieri etiam Deistæ concedere debeant. Quid ? nonne origo cujuslibet rei in diuturniori, vel breviori antiquitate temporis continetur: ergo si per traditionem temporis diuturnitatem innotescere posse consentiunt, per idem medium etiam originem rerum

rum manifestam reddi posse, oportet ut concedant. Sibi ergo non constant, dum illam, non vero istam per traditionem indicari posse contendunt.

Cont. Ut de origine rerum per traditionem constare posset, & infallibilis ea esse, & ad usum facile accommodari posse deberet; sed neque infallibilis est, neque ad usum facile accommodari potest: ergo. Prob. mi. quoad utramque partem. Iis exceptis, qui rei alicujus testes oculati, aut contemporanei fuerunt, omnes exscribunt, quæ ab aliis acceperunt: inde vero consequitur, ut si illi primi decepti fuerint, etiam alii omnes decipiantur, atque ob multitudinem testimoniorum unaquæque res non magis explorata evadat, ac antea erat. Multorum autem sæculorum ubique dispersa testimonia noscere, & ea diligentius expendere valde paucis datum est: si ergo Religio facili ratione omnibus innotescere debet, illud quoque constat, saltem hac in re, de qua agimus, traditionem aut ad usum facile accomodari non posse, aut non debere, quamvis posset.

R., & nos quoque fateri, auctoritate eorum, qui testes oculares, vel contemporanei fuerunt, sequentium scriptorum inniti testimonia: neque enim aliter fieri potest, si quispiam scribat, quæ suo tempore non contigerunt. Verum quid Deistæ inde sibi volunt? Profecto nemo non videt, uti certissimum ha-

bendum esse, quod omnium posterorum fidem, approbationemque promeruit, quamvis non omnes testes oculares esse potuerint. Exempli gr. Christiani secundi sæculi neque Christum videre, neque prodigiorum ejus testes esse potuerunt: verum quum eorum discipulorum familiaritate usi fuerint, qui & Christum viderant, & ejus miracula noverant, tam quæ ad personam Christi, quam quæ ad illius miracula spectant, intellexerunt, & prout intellexerant, posterorum memoriæ consignarunt. Christiani tertii sæculi, neque cum Christo, neque cum primis discipulis illius conversare potuere; tamen tum Christi personam, tum miracula ejus ab iis noverunt, qui primorum Christi discipulorum ætate vixerant, & prout noverant, nobis tradiderunt. Idem quoque de sæculis sequentibus judicium esto. Ita dum ab iis, qui rebus gerendis ipsi interfuerunt, proxima generatio accepit, ab hac alia immediate sequens, atque ita porro usque ad quamvis temporis longinquitatem, res eædem velut per manus traditæ, unde traditionis nomen ortum est, tam certa cum auctoritate ad posteros manant, perinde ac si ipsi nostris oculis cerneremus; ut si de constanti traditione liqueat, in dubium eam revocare velle idem sit, ac fidem omnem tollere, & funditus convellere fundamenta omnia humanæ societatis. Quin etiam ipse hominum in tam diuturna sæculorum successione consensus novum, ac proprium aucto-

rita-

ritatis pondus traditioni conciliat; ostendit enim nihil, ne in tanta quidem longinquitate temporis deprehensum esse, quod rei traditione acceptæ adversum sit. Atque hæc quidem generatim dicimus, & sola spectata vi, & natura traditionis, in peculiari autem casu nostro, in quo de Divinæ Revelationis traditione agitur, multo plura argumenta ejus veritatis accedunt ex aliis etiam capitibus, & characteribus veritatis. Profecto hanc traditionem talem esse nemo dixerit, ut absque ullo examine, nullaque ipsius rei, quam suadet, habita ratione, fidem apud omnes promereri potuerit. Nam rem omnium maximam in se continet, quæ attentionem omnium in se convertere necessario debuerit. Quum enim, ut peculiaris vitæ ratio instituatur, ista traditio præcipiat, quumque nimis multa sint, quæ sub gravibus pœnis servanda ita proponit, ut etiam alterius vitæ status, vel felix ille quidem, semperque beatus, vel ærumnarum plenus, ab ea pendeat, fieri profecto non poterat, ut homines levitate potius, quam certo judicio in eam consentirent.

Revera autem certo maturoque judicio omnes in eam consensisse, probavit eventus. Quid enim pro ejus defensione non pertulere? quæ bella non susceperunt? quam gravia mala sæpius passi non fuerunt? anne necesse non fuit, ut odia multorum in se concitarent, ut etiam contra suos severius agerent, ut vim sibi

inferrent, multasque cupiditates reprimerent? Traditioni ergo, de qua agimus, quadam animi levitate consensisse homines, experientiæ repugnat: ergo ex hoc capite nostra traditio longe majorem supra alias veritatem in se præsefert.

Quid vero si ad ea, quæ ad istam traditionem consequuta sunt, diligenter attendamus? factas promissiones, prout prædictum erat, completas, singularia miracula in beneficium populi fidelis semper patrata, eadem doctrinæ capita, & ea quidem præstantissima, atque sanctissima in omnibus Sacris libris tradita fuisse animadvertemus.

Sacros autem Scriptores si consulamus, quamvis tempore inter se longe dissiti sint, quamvis a diversis familiis suam originem habeant, inque aliis atque aliis regionibus suum ortum duxerint; nihil tamen non constans, non sibi mutuo consentiens, aut non eadem semper sollicitndine, atque studio inculcatum in iis occurrit. Quid? Unusquisque eorum veluti oculatus testis rerum omnium haberi potest, quæ ab aliis scripta fuere. Nam quæ unusquisque vidit, atque posterorum memoriæ tradidit, illorum, quæ ab aliis sanctis viris scripta fuerant, nimis clara, & evidentia argumenta esse perspiciebat; atque ita evenit, ut quasi oculis conspicere viderentur, quæ propter intervallum temporis a se longe posita erant.

Tan-

Tandem illud quoque observetur oportet non solum in omnibus Veteris Testamenti libris summam consensionem esse, sed etiam inter Vetus, & Novum Testamentum, quamvis in illo figura, in hoc figuratum proponatur, eamdem occurrere. Id autem evidenti argumento est nihil ea traditione, de qua loquimur, firmius, atque certius adinveniri posse. Nemo ergo, nisi contra rationem aperte insanire velit, hanc nostram traditionem rejicere potest, quamvis aperta argumenta Divinitatis in ea non essent, quæ tamen præstantissima, atque præclarissima contineri, jam demonstravimus.

Articulus V.

Veritas Divinæ Revelationis Veteris Testamenti a Testimonio Religionis Christianæ, & Ecclesiæ Christi demonstratur.

Argumentis huc usque allatis de Veteris Testamenti Sanctitate, & Veritate Miraculorum, & Prophetiarum, quæ in Sacris ejus Libris recensentur, & de Librorum ejusdem Testamenti Divinitate,& integritate, aliud præstantissimum, & plane invictum postremo addimus, in eo positum, quod hæc omnia pro veris habeat, & teneat Religio Christiana, & Ecclesia Christi, quam veram esse, & nonnisi vera docere posse per multiplicia evidentissimæ

suæ

ſuæ credibilitatis ſigna, & argumenta manifeſtiſſime conſtat, prout explicatius nunc tertio loco pergimus demonſtrare; ita ut per Dilemma inevitabile dicendum ſit, vel quod Religio Chriſtiana ſit falſa, docendo falſa, vel ſi certa, prout motiva ejus evidentis credibilitatis evincunt, certum quoque eſſe debeat, Libros Veteris Teſtamenti, Miracula, & Prophetias, quæ in eis continentur, & pro certis aſſeruntur, æqualis certitudinis evidentia vera eſſe debere.

PARS

PARS TERTIA

DE DIVINA REVELATIONE CONTENTA IN IIS LIBRIS, QUI NOVUM TESTAMENTUM APPELLANTUR.

PRæclarissima, atque evidentissima argumenta divinitatis earum Sacrarum Scripturarum, quæ componunt Novum Testamentum, S. Augustinus Epist. 3. pro suo more luculenter complexus fuit. *Venit & Christus* (inquit S. Doctor), *complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia præconia Prophetarum. Mittit Spiritum Sanctum, implet fideles una in domo congregatos, & hoc ipsum promissum orando, & desiderando expectantes. Impleti autem Spiritu Sancto loquuntur repente linguis omnium gentium, arguunt fidenter errores, prædicant saluberrimam veritatem, exhortantur ad pœnitentiam præteritæ culpabilis vitæ, indulgentiam de Divina gratia pollicentur. Prædicationem pietatis veræque religionis signa congruentia, & miracula consequuntur. Excitatur adversus eos sæva infidelitas,* tole-

tolerant prædicta, sperant promissa, docent præcepta. Numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persequutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitissimis, ex abjectissimis, ex paucissimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur: præclarissima ingenia, cultissima eloquia, mirabilesque peritias acutorum, facundorum, atque doctorum subjugant Christo, & ad prædicandam viam veritatis salutisque convertunt. Alternis adversitatibus, & prosperitatibus rerum patientiam, & temperantiam vigilanter exercent: mundo declinante in extrema, fessisque rebus ætatem ultimam protestante, multo fidentius, quia & hoc prædictum est, æternam civitatis cælestis felicitatem expectant. Atque inter hæc omnia contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremit: evincit illa patiendo, & inconcussam fidem inter obsistentium sævitiam profitendo. Revelatæ veritatis, quæ diu promissis mysticis velabatur, sacrificio succedente, illa sacrificia, quibus hoc figurabatur, Templi ipsius eversione tolluntur. Reproba per infidelitatem gens ipsa Judæorum a sedibus extirpata per mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet Codices Sanctos, & sic Prophetiæ testimonium, qua Christus, & Ecclesia prænunciata est, ne ad tempus a nobis fictum existimaretur, ab ipsis adversariis proferatur, ubi etiam ipsos prædictum est, non fuisse credituros. Templa, & simu-

ſimulacra dæmonum, rituſque ſacrilegi paulatim, atque alternatim ſecundum prædicta Prophetica ſubvertuntur. Hæreſes adverſus nomen Chriſti, ſub velamento tamen nominis Chriſti, ad exercendam doctrinam ſanctæ Religionis, ſicut prænunciatæ ſunt, pullulant. Hæc omnia ſicut leguntur prædicta, ita cernuntur impleta, atque ex his jam tot, & tantis, quæ reſtant, expectantur implenda. Tandem mens avda æternitatis, vitæque præſentis brevitate permota contra hujus Divinæ auctoritatis lumen, culmenque contendat?

Num, 17. *Quæ diſputationes, quæ litteræ quorumlibet Philoſophorum, quæ leges quarumlibet civitatum, duobus præceptis, ex quibus Chriſtus dicit totam legem, Prophetaſque pendere, ullo modo ſunt comparandæ:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum tamquam te ipſum? *Hìc Phyſica, quoniam omnes omnium naturarum cauſſæ in Deo ſunt. Hic Ethica, quoniam vita bona, & honeſta non aliunde formatur, quam quum ea, quæ diligenda ſunt, quemadmodum diligenda ſunt, diliguntur, hoc eſt Deus, & proximus. Hìc Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis, nonniſi Deus eſt. Hìc etiam laudabilis Reipublicæ ſalus: neque enim conditur, & cuſtoditur optime civitas, niſi fundamento, & vinculo fidei, firmæque concordiæ, quum bonum commune diligitur, quod ſum-*

ſummum, ac veriſſimum Deus eſt, atque in illo invicem ſinceriſſime ſe diligunt homines, quum propter illum ſe diligunt, cui, quo animo diligant, occultare non poſſunt.

Num.18. *Modus autem ipſe dicendi, quo Sacra Scriptura contexitur, quam omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis penetrabilis. Ea, quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea vero, quæ in myſteriis occultat, nec ipſa eloquio ſuperbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuſcula, & inerudita, quaſi pauper ad divitem, ſed invitat omnes humili ſermone, quos non ſolum manifeſta paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta faſtidirentur, eadem rurſus operta deſiderantur, deſiderata quodammodo renovantur, renovata ſuaviter intimantur. His ſalubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel errando eam neſcit ſaluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.* Sanctitas ergo doctrinæ, mirabiles effectus, qui ad prædicationem Evangelii conſequuti fuere, miracula, atque prophetiæ, teſte S. Auguſtino, immo ipſa evidentiſſima ratione ſuadente, certa, atque manifeſta argumenta ſunt, quæ dubitare non ſinunt de Divinitate Sacrarum Scripturarum Novi Teſtamenti. Hæc vero ſunt, quæ & nos quoque in hac parte proſequemur, at-

atque fusius explicabimus, ut certo constare possit, quam non solum impie, sed etiam omnino irrationabiliter Revelationem Novi Testamenti Deistæ reiiciant.

QUÆSTIO I.

De Argumentis, quæ in se habet suæ divinitatis Revelatio novi Testamenti.

EUM ordinem, quem sequuti sumus in demonstranda veritate Divinæ Revelationis, quæ in Veteri Testamento continetur, etiam in hac quæstione sequendum esse putamus. Sacras ergo Scripturas Novi Testamenti divinitus inspiratas esse ex earum sanctitate doctrinæ, exque eventu etiam, quem prædicatio Evangelica habuit, in primo articulo evincemus, in secundo ex miraculis, in tertio ex prophetiis rem eamdem ostendemus.

ARTICULUS I.

Num ob Doctrinæ sanctitatem constet de divinitate novæ legis; & quæ ad ejus promulgationem consequuta fuere eamdem illius divinitatem evincant.

QUoniam non unum, aut alterum tantum, sed plura argumenta occurrunt, quibus hoc, de quo disputamus, constare summa cum evidentia potest, ideo majoris claritatis gratia, hunc articulum in nonnullos paragraphos divi-

dividere constituimus : 1. ergo Divinitatem Evangelicæ Legis ex recta institutione hominis, quæ per eam fit, expendemus: 2. ex conformitate, quæ inter eam est, & naturam hominis: 3. ex sanctitate, atque excellentia finis: 4. tandem ex iis, quæ ad promulgationem ejus consequuta fuere.

§. I.

De recta institutione Hominis, quæ fit per Legem Evangelicam.

Quoniam institutio hominis tum quoad Deum, tum quoad se ipsum, tum quoad alios spectari potest, ideo quam perfecte fieri potest, hominem quoad Deum, se ipsum, atque alios recte per Evangelicam Legem institutum esse, tribus propositionibus demonstrabimus.

Propositio I. Est quidem homo quoad Deum per Legem Evangelicam quam rectissime institutus.

Prob. prop. Ut homo quoad Deum recte institutus dici possit, tria requiruntur: 1. ut de ipso Deo recte sentiat: 2. ut piis affectibus eumdem prosequatur: 3. ut exteriores quoque ejus actus respondeant piis affectibus, atque summam erga Deum observantiam referant. Hæc vero omnia sunt, in quibus homo per legem Evangelicam instituitur. Nam primo per hanc Divinam legem sublimitas Divinæ naturæ, quan-

quantum fieri poteſt, nobis innoteſcit: Deus namque omni præcipuarum præcellentiumque perfectionum genere præditus in ea exhibetur: quà enim omnium ſupremum ens, quod a ſe ipſo exiſtit, atque rerum omnium principium eſt; quà cui nemo præcellere, aut coæquari poſſit, quà cujus dominio cuncta ſubſunt, & qui ea, quæ fecit, conſervat atque moderatur; quà qui nihil non poſſit, nihilque non longe videat, & proſpiciat, nihil non ſapientiſſime curet; quà ſumma ſanctitate, juſtitia, æquitate, & miſericordia admirabilis; quà exquiſitiſſimo cultu dignus, & honoribus; quà omnium actionum, immo & cogitationum noſtrarum ſupremus Judex: a quo & cuncta bona habemus in hac vita, multoque majora in altera habere poſſumus, ſi modo, ut par eſt, morem illli geramus, & multa mala tam in præſenti, quam in altera vita metuere debemus, ſi ejus Divinæ legi non humiliter obtemperemus; quà demum (& in hoc quidem ſanctitas Evangelicæ Legis, atque divinitas quam maxime elucet) ut omnium noſtrum pater amantiſſimus nobis repræſentatur, qui & noſtra amanter curat, & ſuæ gratiæ donis nos confirmat, atque corroborat, noſque precantes libenter audit. Unde Joannes Cap.3. c.1. *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus*. Et Apoſtolus Paulus ad *Galat*. 4. v.6. *Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus ſpiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater. Itaque*
jam

jam non est servus, sed filius: quod si filius, & hæres per Deum. Et apud Matth.c.6. v.25. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est, quam esca, & corpus, plusquam vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* His autem Matthæi verbis assiduam, quam de nobis Deus curam habet, pulcherrime testatam esse, nemo non videt. Neque etiam minus constat de summa in nos Dei largitate, qua sua beneficia nobis tribuit: nam præcipue in Epistolis Apostoli Pauli nihil sæpius repetitum occurrit, quam abundantia divitiarum gratiæ Dei in nos, nihil quoque magis in Sanctis Evangeliis nobis insinuatum legitur, quam ut opem ejus imploremus, quia paterno nos amore prosequitur.

Hæc ergo, quæ brevi calamo recensuimus, si in Evangelica Lege de Divina natura nobis vel sola insinuata legerentur, talia esse quisque perspicit, per quæ de Divina natura recte sentire possemus: quum vero multa alia æque sublimia proponantur, uti tum Evangelia, tum Epistolas Apostolicas legenti constabit: omnino nos per Divinas litteras, quanta hominis capacitas est, de Dei natura instructos esse, fatendum est.

His autem præconceptis de Deo sententiis, & quæ erga ipsum debentur, in animo no-

nostro piæ affectiones oriuntur, iisdemque ad bene agendum incitamur, & de utroque in Sacris litteris aperte monemur. 1. quidem interna adoratio suadetur, quia *Joan.*4. v.24. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant Deum, in spiritu, & veritate oportet adorare*. Ex hac autem interna adoratione, qua ipso Deo quasi replemur, illud consequitur, ut celebrare Dei laudes, curæ simul, atque voluptati nobis esse debeat. 2. Divinæ justitiæ timor exoritur. *Matt.*10. v.28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus mittere in gehennam*. Hinc summa erga Deum, & præcepta illius veneratio nascitur. 3. In Dei opem summa fiducia. *Joan.*14. v.13. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in Filio*. Et *Matt.*7. v.7. & seq. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Si ergo vos quum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se*. Inde autem & frequentia precum nostrarum ad Deum, & vota sæpius repetita, ac devotæ oblationes veluti sua sponte oriuntur. 4. Dei voluntati subjectio, humilisque devotio. *Matt.*6. v.10. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*

ra : proindeque fit ut & ſupremum Dei dominium agnoſcatur , & colatur poteſtas , atque majeſtas . 5. Demum pro acceptis beneficiis grati animi ſenſus , & amor valde dulcis , ac ſuavis , ex quibus omnium exercitia virtutum profluant . *Matt.*22. v.38. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & in tota anima tua , & in tota mente tua : hoc eſt maximum, & primum mandatum*: quia I. ad *Timot.*1. v.5. *Finis præcepti eſt charitas* : & I. *Joan.*4. v.16. *Deus charitas eſt , & qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo* .

Hic autem amor publica confeſſione fidei primo ſeſe prodere debet , quia *Roman.*10. v.10. *Corde creditur ad juſtitiam , ore confeſſio fit ad ſalutem* . 2. diligenti obſervatione Divinorum mandatorum : nam II. *Joan.*v.6. *Hæc eſt charitas , ut ambulemus ſecundum mandata ejus.* & *Joan.*14.v.15. & 12. *Si diligitis me, mandata mea ſervate . . . ſi quis diligit me , ſermonem meum ſervabit* 3. celebratione Divinæ gloriæ . I. *Corint.*10. v.31. *Sive ergo manducatis , ſive bibitis , ſive aliud quid facitis , omnia in gloriam Dei facite* : & *Epheſ.*3. v.17. *Omne quodcumque facitis , in verbo , aut in opere , omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti , gratias agentes Deo per ipſum* . Unde etiam legitur *Matt.*5. v.6. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus , ut videant opera veſtra bona , & glorificent Patrem veſtrum , qui in cœlis eſt* . 4. imitatione Divinæ perfectionis . *Matt.*5. v.48. *Eſtote ergo vos perfecti , ſicut & Pater veſter cœle-*

cœlestis perfectus est : & *Ephesio.* 5. v. 1. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi.* 5. ipsius Dei laudibus, atque actione gratiarum. *Hebræor.* 13. v. 5. *Per ipsum ergo* (hoc est Christum) *offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* & *Ephesior.* 5. v. 18. *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi.* 6. demum, ut multa alia omittam, exultatione in Deum. *Philipp.* 4. v. 4. & seq. *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete... Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant ad Deum; & pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu.*

Quapropter per Legem Evangelicam non minus effici, ut de Deo recte sentiamus, quam ut eum tum piis affectibus, tum debito honore, atque cultu prosequamur, nimis manifesta res est.

Propositio II. Homo quoad se ipsum per Evangelicam Legem recte instituitur.

Prob. Quæ spectant ad peculiarem institutionem hominis, vel ad mentem ejus, vel ad corpus referri possunt, ita ut mens omni genere præceptorum imbuatur, indeque fiat, ut etiam corpus regi possit ea ratione qua debet.

bet. Utrumque autem Lex Evangelica omnino præstat. Et quidem quoad mentem attinet, quemadmodum superiori propositione demonstravimus, cognitione Divinæ naturæ, infinitarumque perfectionum illius primo informat, deinde vero quænam hominis conditio sit, quam sublimis, atque præcellens, sive origo ejus spectetur, sive finis, detegit, atque manifestat. *An nescitis* (inquit Apostolus I. Corint.6. v.19. & 20.) *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Vos enim estis* (prosequitur idem Apostolus II. Corint.6. v.16. & seq.) *templum Dei vivi, sicut dicit Dominus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus... Et ego recipiam vos; ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus Omnipotens.* Ead. epist. cap.7. v.1. *Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Hisce vero constitutis, generatim jubet, Philipp.4. v.8. *ut quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque bonæ famæ, si qua laus disciplinæ, hæc cogitemus.* Tam ergo illa, quæ ad cultum corporis, quam quæ ad animum pertinent, per Legem Evangelicam recte constituta sunt. Verum nonnulla peculiariter expendamus.

1. Ita-

1. Itaque statuit, ut nos Deo omnino devoveamus, atque cælestia solummodo consectemur. *Nostra conversatio* (inquit Apostolus, Philip.3. v.20.) *in cœlis est; unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia*. Et Christus: *Nolite*, inquit Matt.6. v.19. & seq., *thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur; ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum ... Non potestis Deo servire, & mammonæ; ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid induamini ... Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*.

2. Ut Deo subjiciamur, & hominibus, nullaque in re propriam gloriam quæramus. Hinc illud Apostoli I. Corint. 4. v.7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quare gloriaris, quasi non acceperis?* Lucæ autem 17. v.10. ait Christus: *Quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*. Et Matt.20. v.26. *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*. Et cap.6. v.1. & seq.

seq. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Quum autem facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

3. Ut animi puritatem cum castimonia corporis conjungamus. Hac de causa *Matt.* 5. v.8. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et v.27. *Audistis, quia dictum est antiquis: non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et Apostolus Ephesior. 5. v.3. *Fornicatio autem*, inquit, *& omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio.*

4. Ut adversa patienter, & æquo animo feramus. Nam Matt.5. v.3. & seq. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum ... Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur ... Beati, qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et Apostolus Hebræor. 12. v.6. & seq. *Quem enim diligit Deus, castigat ... omnis disciplina in præsenti quidem videtur, non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.*

5. Ut semper vigilando curemus, ne quid contra

contra officii nostri rationem agamus; idque omne, licet charissimum, amoveamus, quod nobis offendiculo esse possit. *Dico autem vobis*, ait Christus Matt. 12. v. 36., *quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Matt. 5. v. 29. *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te; & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.*

6. Ut in omni conversatione nostra sancti simus. *Quasi filii obedientiæ* (inquit S. Petrus, Epist. 1. cap. 1. v. 14. & seq.) *non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis: sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis*. Eadem epist. cap. 2. v. 12. *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis*.

Verum nimis longum esset, si omnes sanctissimas præceptiones persequi vellemus, quæ ad dirigenda officia hominum in Lege Evangelica constituta sunt. Nihil enim in ea omissum est, quod ad quemcumque vitæ statum, atque conditionem pertinere possit: nam quæ Principum, & subditorum, uxorum, & virorum, filiorum, & parentum, liberorum, servorum, atque dominorum; quæ virginum, vidua-

duarum, seniorum, adolescentum, & sacerdotum officia sint, Divina prorsus ratione in Lege Evangelica sancitum est, adeo ut vel sapientissimorum quorumvis philosophorum præcepta de moribus, & officiis hominum cum præceptis Evangelicis comparata, nihilo plus sint, quam informia rudimenta collata cum sapientissima totius disciplinæ explicatione, & rivuli exigui ac turbulenti cum plenissimo, & limpidissimo flumine comparati. Atque est quidem pulcherrima ad cernendum res, & Revelationi, quam sequimur, gloriosa, rusticum hominem, & mulieres, idiotas, ac exigui temporis adolescentes hac Revelatione instructos, multo certius accuratiusque officia vitæ humanæ nosse, quam philosophi veteres noverint, in maximis rebus sæpe errantes, quorum, ut unum exemplum commemorem, sapientissimus Plato eo usque desipuit, ut uxorum communitatem in sua Republica constituerit.

Illud ergo unum ad perfectam uniuscujusque instructionem tantum supererat, ut moneremur, unde nam contingat, quam semper experimur, in nobis ipsis calluctationem esse, & modo ex una parte ad ea quoque trahi, quæ a natura rationali abhorrent, ex altera autem illa consectari, quæ recta sunt. Hoc vero etiam est, quod per Legem Evangelicam perspicue edocemur. Roman. cap.5. 7. & 8.

Propositio III. Per Legem Evangelicam etiam quoad alios homo recte instituitur.

Prob.

Prob. prop. Quamvis omnis humana ſocietas duabus potiſsimum virtutibus, hoc eſt juſtitia & charitate contineatur; tamen ſecundum Legem Evangelicam charitas omnia complectitur, etiam juſtitiam, ſicut Apoſtolus hiſce verbis explicat Roman. 13. v.8. & ſeq. *Qui diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces; & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo Legis eſt dilectio.*

Charitatis enim proprietates tales ſunt, ut in ſe ea omnia officia complectatur, quæ in favorem alterius exercere poſſumus: *Charitas* (inquit idem Apoſtolus I. Corint. 13. v.4. & ſeq.) *patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*

1. Ergo charitas patiens eſt. Unde Chriſtus Matt. 5. v.38. & ſeq. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt, oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*: & Apoſtolus Coloſſen. 3. v.12. & ſeq. *Induite ergo vos*, ait, *ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera*

misericordiæ , benignitatem , humilitatem , modestiam , patientiam , supportantes invicem , & donantes vobismetipsis , si quis adversus aliquem habet querelam : sicut & Dominus donavit vobis , ita & vos .

2. In omnes , atque etiam in ipsos inimicos benigna est . Unde Matt.5. v.4. dicitur : *Beati mites , quoniam ipsi possidebunt terram .* Et eodem cap.v.44. & seq. *Diligite inimicos vestros, benefacite his , qui oderunt vos , & orate pró persequentibus , & calumniantibus vos , ut sitis filii Patris vestri , qui in cœlis est , qui solem suum oriri facit super bonos , & malos , & pluit super justos , & injustos .*

3. Non æmulatur , neque perperam agit ; ideoque Apostolus *Roman.*13.v.12. omnes monet : *Sicut in die honeste ambulemus . . . non in contentione , & æmulatione .* Et Ad *Galatas* 5. v.19. & 20. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt . . . contentiones , æmulationes , iræ .* Servat quoque charitas justitiam , & æquitatem ; hoc est , neque damnum , neque injuriam alteri inferri patitur : fidelitas in promissis, in sermone ingenuitas vult ut attendatur . Quapropter Apostolus omnes ita monet *Ephesior.*4. v.8. & seq. *Ut filii lucis ambulate . Fructus enim lucis est in omni bonitate , & justitia , & veritate .* Et *Thessalon.*4. v.6. *Ne quis supergrediatur , neque circumveniat in negotio fratrem suum , quoniam Deus vindex est de his omnibus .*

4. Non inflatur , neque ambitiosa est , nec quærit,

quærit, quæ sua sunt. Hinc Scribas, & Pharisæos reprehensos fuisse legimus, *Matt.*23. v.7., quia & salutationes in foro, & ab hominibus Rabbi vocari exoptarent, simulque constitutum, qui se exaltaverit, humiliatum iri; & qui se humiliaverit, exaltatum iri. Omnis autem, quæ de superbia exultatio concipitur, *maligna est*. *Jacob.*4. v.16. & *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. I. *Petri* 5. v.5.

Quia vero charitas non quærit; quæ sua sunt, & pro salute proximi sollicita est: *Rogamus autem vos, fratres*, (inquit Apostolus, I.Thess.5. v.14. *corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes*: & liberalis est, atque hospitalitatem servat: *Matt.*5. v.44. *Qui petit a te, da ei; & volenti mutuari a te, ne avertaris*; ac *Hebræor.*13. v.2. *Hospitalitatem nolite oblivisci*; Tandem & est clemens atque misericors: *Matt.*6. v.14. & seq. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra*.

5. Non irritatur, neque malum cogitat. Inde autem est, ut præceptum legamus *Lucæ* 17. v.4. *Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te dicens: pœnitet me, dimitte illi*. Et *Matt.*7.v.23. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens,*

offeres munus tuum. Omnis quoque de aliis mala cogitatio a mente noſtra juxta præceptum Chriſti Domini avertatur oportet : *Matt.*7. v.1. & ſeq. *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur & vobis. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*

Tandem Charitas *non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit &c. Quam enim gratiarum actionem* (inquit Apoſtolus II. *Theſſalon.* 3. v.9.) *poſſumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum?* Unde, & ajebat, II. *Corint.*7. v.9. *Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Et *Theſſal.*5. v.14. & ſeq. *Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini in invicem, & in omnes. Semper gaudete.* Ac tandem I. *Corint.*16. v.13. & ſeq. *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia veſtra in charitate fiant.*

His autem charitatis officiis, aliiſque ſane multis, quæ recenſeri poſſent, homines erga ſe invicem ita eſſe inſtitutos, ut nihil divinius excogitari valeat, res ipſa clamat, ut nihil opus ſit verbis: ergo per Legem Evangelicam etiam quoad alios homo recte inſtituitur.

Dices.

Dices I. Christus hæc omnibus servanda præcepit *Lucæ* 14. v. 26. & seq. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*: sed contra humanam societatem peccat, qui parentes suos, uxorem, aut fratres, & sorores odio habet: ergo.

R. nunquam voluisse Christum, ut parentes, filios, atque propinquos odio haberemus, quum etiam dilectionem inimicorum nobis præceperit: sed solum ut ne tanti eos faceremus, ut ob amorem illorum, quæ Dei sunt, aut esse debent, a nobis negligerentur. Hunc suorum verborum sensum esse, ipse Christus *Matt.* 10. v. 37. hisce verbis confirmat; *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus*. Vult ergo Deus, ut nemo in amore sibi præponatur; & quidem jure optimo, quum supremum dominium supra nos obtineat, nihilque non ab ipso acceptum, atque etiam servatum non habeamus. Hinc recte S. Thomas 2. 2. quæst. 34. art. 3. ad 1. *Parentes*, inquit, *quantum ad naturam, & affinitatem, qua nobis conjunguntur, sunt a nobis secundum præceptum Dei honorandi; odiendi vero quantum ad hoc, quod impedimentum præstant nobis accedendi ad perfectionem Divinæ justitiæ*.

Dices II. Quum Christiana Religio præcipiat, ut passiones deprimamus, inde futurum esse, ut & studium bonarum artium extinguatur, & opera virtutum omnino deficiant;

ſed tum ſtudium bonarum artium, tum præclara opera virtutis plurimum humanæ ſocietati prodeſſe, nemo negaverit: ergo falſo dicitur, hominem etiam quoad alios per Legem Evangelicam recte eſſe inſtitutum. Auctor *Philoſophicar. Cogitat.* §. 1. ſuum impium Opuſculum ita auſpicatur. Deinde, addunt impii, nonne propter deſpectum divitiarum, quem Chriſtiana Religio imperat, negotiatio deſtruitur, quæ humanæ ſocietati valde prodeſt? Ita ineptit Auctor inſcripti Operis *Examen de la Relig.* cap. 5.

R., contra experientiam omnium ſæculorum ſumma cum audacia eum aperte mentiri, qui ita ratiocinatur. Quid? anne viri ſapientes, atque omni genere doctrinarum ſummopere commendabiles in Eccleſia Chriſtianorum aliquando defuerunt? Anne ſtudium liberalium artium per Chriſtianam Religionem ſublatum, atque extinctum omnino fuit? Profecto nullum eſt diſciplinæ genus: in quo etiam viri ſanctiſſimi omni tempore ſeſe non exercuerint, nullaque doctrina, in qua ſe eſſe valde inſtructos rebus ipſis non probaverint. Studium vero artium liberalium etiam apud religioſiores quanto ſemper in honore fuit? quam impenſe illud coluerunt, atque ab aliis colendum curarunt? Hujus rei manifeſtæ teſtes non neceſſarios non eſt, cur afferamus: nam ſanctos viros una cum pietate, quam ab Evangelica Lege hauſerunt, ſtudium quoque litterarum artiumque liberalium ſimul conjunxiſſe, nemini non perſpectum eſt, quum multa opera eorum, quæ modo

modo etiam leguntur, hac de re dubitare non ſinant. Quid vero non præclarum ab iis omni tempore geſtum eſt, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur? Nullum autem genus actionum quamvis fuerit, in quibus non omnes alios longe vicerint; tamen quoad eas potiſſimum, quæ in aliorum utilitatem cedere poterant, quamdam divinitatem aſſequuti fuiſſe videntur. Quid non fecerunt, ut aliorum infirmitati providerent? quid ut egeſtati proſpicerent, erroribus occurrerent, ſalutem procurarent, commodis conſulerent, atque etiam felicitatem promoverent? contra vero quid per legem Evangelicam unicuique non prohibetur, quod alteri noxium eſſe poſſit? Verum quod admirationem omnium commoveat oportet, illud eſt, quod per Legem Evangelicam non uni, aut alteri tantum, ſed omnibus, qua fieri ratione poſſit, benefaciendum, & non ab unius, aut alterius tantum, ſed ab injuria omnium prorſus abſtinendum eſt. Quo fit, ut utilitati cunctarum gentium perfectiſſime proviſum ſit.

Lege autem Evangelica paſſiones non ut extinguamus, ſed ut rationi ſubjiciamus, nobis præcipitur. Semel autem ac rationi ſubjectæ fuerint, longe perfectius eſt bonum, quod operamur.

Non eſt nunc neceſſe (ita ad rem noſtram S. Auguſtinus de Civitate Dei *lib. 9. cap. 5.*) *copioſe, ac diligenter oſtendere, quid de iſtis paſſionibus doceat Scriptura Divina, qua Chriſtiana eruditio continetur. Deo quippe illam ipſam*

ſam mentem ſubjicit regendam , & juvandam , mentique paſſiones ita moderandas , atque frenandas , ut in uſus juſtitiæ convertantur . Denique in diſciplina noſtra non tam quæritur, utrum pius animus iraſcatur , ſed quare iraſcatur ; nec utrum ſit triſtis , ſed unde ſit triſtis ; nec utrum timeat , ſed quid timeat . Iraſci enim peccanti , ut corrigatur ; contriſtari pro afflicto , ut liberetur ; timere periclitanti , ne pereat , neſcio , ut quiſpiam ſana conſideratione reprehendat .

Quænam autem in lege Evangelica quoad divitias præcipiantur , primo videamus , poſtea vero talia eſſe evincemus , ut communi ſocietati neque magis conſentanea , neque magis utilia eſſe poſſint . Eſſe ergo in Evangelica lege præceptum , ut renunciemus omnibus divitiis nemo dixerit . *In ipſo Novo Teſtamento* (inquit S. Auguſtinus contra Adimantum *n.* 1.) *cujus præmium , & hæreditas ad novum hominem pertinet , tamen & Dominus iiſdem ipſis , quos vult eſſe rerum temporalium contemptores , ut in Evangelio ſibi ſerviant , promittit multiplicationem rerum in hoc ſæculo centies tantum , in ſæculo autem venturo vitam æternam .*

Conſuli ergo , non vero præcipi renuntiationem divitiarum hoc teſtimonio Matt. cap. 19. v. 21. *Vade , vende omnia , quæ habes , da pauperibus , & habebis theſaurum in cœlis , & veni , ſequere me* num. 25. idem S. Doctor ita evincit : *Cui enim Dominus hæc præcepit ? Profecto illi diviti , qui vitæ æternæ conſequendæ conſilium quærebat accipere .*

Hoc

Hoc enim Domino dixerat : quid faciam ut vitam æternam consequar? *Ille autem non ei respondit : si vis venire ad vitam , vade , vende omnia , quæ habes : sed* si vis venire ad vitam, serva mandata. *Quæ juvenis quum sibi a Domino ex lege commemorata se servasse dixisset, & quæsiisset, quid adhuc sibi deesset, responsum accepit* : si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. *Et ne se illa, quæ multum amabat, hoc modo perdere existimaret* : & habebis, *inquit*, thesaurum in cœlis. *Deinde addidit* : & veni, sequere me ... *Magister bonus mandata legis ab ista excellentiori perfectione distinxit. Ibi enim dixit* : si vis venire ad vitam, serva mandata: *hic autem* : si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes. Quapropter non divitias, sed earumdem inordinatum affectum, & pravum usum damnari in Evangelica Lege; ab eaque consuli tantum, non vero præcipi, ut divitiis renunciemus, tam manifestum est, quam quod maxime.

Per hoc autem quod in Evangelica lege & inordinatus affectus, & pravus usus divitiarum prohibeatur, humanæ societati recte consultum esse contendo. Anne societatis hominum quam maxime non interest, ut unusquisque divitiis, quas habet, utatur, prout decet? ut alienæ pecuniæ non invideat? ut cum damno aliorum non studeat sibi comparare divitias? ut subveniat aliis, prout sui status conditio patitur? ut communi bono propriam utilitatem non ante-

anteponat? ut opportuno tempore erga alios liberalitate utatur? ut demum suum finem non reponat in divitiis? Hæc vero sunt, quæ unusquisque explere facile potest, si erga divitias ea ratione sit affectus, qua in Lege Evangelica præcipitur. Nam inordinato appetitu divitiarum semel sublato, non solum quisque alienas appetere divitias, aut usurpare non quæret, sed etiam opportune in utilitatem aliorum suis uti gaudebit.

Consilium quoque, quod de renuntiandis divitiis in Lege Evangelica insinuatur, tantum abest, ut communi societati obesse possit, quin potius quam maxime prodest. Quid? Anne communi societati damnum affert, ut qui divitiis instructus est, nullamque ob conditionem sui status peculiarem obligationem habet, easdem iis distribuat, qui maxima necessitate laborant, vel in usum earum rerum impendat, quæ communi societati valde prodesse possunt? Sed hujusmodi opera virtutum peragenda ab iis, qui divitiis renuntiant, in Lege Evangelica proponuntur. Consilium itaque, quod de renuntiandis divitiis in Lege Evangelica insinuatur, publicæ utilitati quam maxime prodest.

Quoniam vero quod Deistæ nostri temporis quoad negotiationem nobis objiciunt, jam antea Ethnici primis Christianis objecerunt, quid iisdem Tertullianus in *Apologetico* cap.42. reposuerit, modo videamus: *Sed alio quoque*, inquit, *injuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobis-*

vobiscum degentes, ejusdem victus, habitus, instructus, ejusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanæ, aut Gymnosophistæ sumus, Sylvicolæ, & exules vitæ. Meminimus gratiam debere nos Deo, Domino, Creatori. Nullum fructum operum ejus repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisque commerciis cohabitamus hoc sæculum. Navigamus & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur. Proinde miscemus artes, operas nostras publicamus usui vestro.

Est tamen advertendum, quod lucrum, quod ex negotiatione habetur, ex sui ratione nihil vitiosum continet, aut virtuti contrarium, si referatur ad aliquem finem, vel necessarium, vel honestum, ut præcipit lex evangelica; & tunc Negotiationem etiam Christianis exercere licebit: & quia maximum in Negotiatione periculum inest, ne fraus aliqua committatur, & Proximus circumveniatur, Religio Christiana præscribit peropportuna præcepta, ut mercatura secundum Justitiæ, & Recti leges exerceatur sub comminatione æternarum pœnarum; proindeque dicendum est, Christianam Religionem ex hoc quoque capite humanæ societati valde utilem salutaremque esse. Inde ergo etiam utilitas Christianæ Religionis quoad humanam societatem evidentissime constat; unde Dei-

Deistæ eidem societati eam noxiam esse per summam audaciam effutiunt.

§. II.

De summa & necessaria utilitate, quam Lex Evangelica affert humanæ naturæ infirmitati.

Naturam hominis hic quoque spectamus, sicuti revera semper spectari debet, prout est ratione prædita, atque ab aliis distinguitur. Duo autem secundum hanc acceptionem in ea considerari possunt; hoc est vis intelligendi, & libere eligendi facultas: semel ergo ac per Legem Evangelicam huic duplici facultati hominis recte prospiciatur, supleaturque id omne, quod deest, maxime si aliunde suppleri non possit, eam infirmitati humanæ naturæ valde conformem esse concludi debet.

Propositio. Lex Evangelica infirmitati humanæ naturæ summe salutaris est.

Prob. prop. Lex Evangelica recte hominem instituit tum quoad Deum, tum quoad se ipsum, tum quoad alios, & quidem sive ea spectentur, quæ cognoscere, sive ea, quæ agere debet, quemadmodum in tribus propositionibus §. superioris jam demonstravimus: ergo Lex Evangelica infirmitati humanæ naturæ summe salutaris est.

At vero rem istam diligentius expendamus. Quid intrinsecum latere in unoquoque no-

nostrum, quo ad malum feramur, nullus sane est, qui in dubium revocare possit. Id autem quamvis omnes experimento didicerint; tamen nemo est, qui originem ejus assequi valeat: dum enim gravia crimina ab hominibus committi videmus, ad malitiam quidem eorum advertimus, sicut etiam nostram sentimus, quando vel male agimus, vel ad male agendum inclinamur; ceterum hujus malitiæ originem nullus unquam per se detegere potuit.

Hæc vero est, quæ per Divinam Revelationem Legis Evangelicæ manifestatur, quum per eam cognoscamus, qua ratione humana natura corrupta fuerit.

Sed non solum malum, quod in nobis interius latet, per Revelationem Evangelicæ Legis manifestatur, sed etiam opportunum remedium illi affertur. Et primo quidem ab ea edocemur, nos tanti non esse, ut propria virtute ab omni malo cavere, singulisque tentationibus obsistere possimus. Jubet ergo, ut puras manus nostras ad Deum tollamus, a quo solum id omne expectare possumus, quod nobis in tanta miseria constitutis necessarium est. Deinde vero, magnis præmiis propositis, quæ superant sensus nostros, ut contra corruptam naturam, & vitia omnia decertemus, nos accendit: si autem hoc facere renuamus, minis deterret, atque suppliciis, quæ in æternum duratura sunt. Demum intus quoque præcipit, ut renovemur, deponamusque *Ephes.* 4. v. 22. & seq. *secundum pristinam conversationem veterem*

terem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, & induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & Sanctitate veritatis. Quo autem id omne sincere capiamus, etiam cogitationum nostrarum, internorumque motuum Deum nobis judicem demonstrat, quem nihil eorum, quæ intra nos geruntur, latere potest. Quis vero hæc omnia, quæ in Sacris Novi Testamenti libris tam sæpe repetita leguntur, Divina esse negaverit? Profecto ille solus detegere naturam hominis, ad virtutem excitare, contra vitia accendere, perficere, ac renovare ita poterat, qui summa est scientia, bonitate, atque perfectione præditus. Hinc neque legibus, neque institutione, neque quavis industria hominum aliquando factum fuisse legimus, ut vel quæ tandem esset natura hominum detegeretur, vel ea remedia pararentur, quibus indigeret.

§. III.

De Puritate, atque Sanctitate finis, quem lex Evangelica sibi propositum habet.

Ea lex quoad suum finem summam puritatem, atque sanctitatem habet, quæ non solum ad commune bonum ordinatur, sed etiam illud bonum est omnium optimum, atque perfectissimum. Hujusmodi autem illud bonum est, quod Lex Evangelica sibi propositum habet, sive ad homines, sive ad ipsum Deum refe-

referatur: nam tum ad præsentis vitæ nostræ, tum potissimum ad alterius vitæ perfectam felicitatem tendit, & tota, quanta est, in manifestatione Divinæ gloriæ occupatur.

Propositio. Summa puritas, atque sanctitas in eo fine inest, quem Lex Evangelica sibi propositum habet.

Prob. prop. Et primo quidem puritatem, atque sanctitatem finis illius quoad homines expendamus. Homines ergo in duplici statu considerari possunt, hoc est, & quoad præsentem, & quoad futuram vitam. Quam autem homines in hoc mundo beatitudinem assequi possunt, repositam præcipue esse in exercitatione virtutis, nemo Deistarum, ut ego arbitror, negare poterit, quum necesse non esse, ut alter vitæ status supersit, in quo justi fructum suorum laborum recipiant, ideo affirment, quia virtus sufficiens sibi præmium esse posse falso putant. Quapropter quum per Evangelicam Legem nihil magis provisum sit, quam ut homines exquisitiora virtutis opera faciant, atque etiam ab omni turpi cogitatione diligentissime sibi caveant, consequens inde est, ut beatitudo, quæ in hac vita ab omnibus obtineri potest, ab Evangelica Lege potissimum intenta sit: ergo si hæc lex spectetur quoad homines, dum hanc vitam degunt, omnium maximam in suo fine sanctitatem, atque puritatem continet, quum nunquam alia lex fuerit, aut esse possit, quæ adeo diligenter & omni generi virtutum providerit, & cuncta vitia detexerit, atque damnarit. His

His illud quoque accedit, hominis proprium esse, ut actiones suas in certum finem dirigat, quia est libertate præditus; sed nullus finis eo præstantior esse potest, quem Lex Evangelica omnibus nostris actionibus tum externis, tum internis propositum esse præcipit: nam summi perfectissimique boni gloriam, atque eam cum maxima, atque æterna nostri felicitate conjunctam semper a nobis intendendam esse statuit: ergo homines, dum vivunt, sanctissimum, atque purissimum a Lege Evangelica finem sibi constitutum habent.

Hinc autem illud quoque constat, eamdem rationem de eo fine habendam esse, quem in altera vita Lex Evangelica omnibus consequendum proponit. Quid enim non pulchrum, atque delectabile intellectui nostro cognoscendum, quid non dulce, & suave voluntati nostræ possidendum non promittit? Quid etiam corpori nostro non gratum, atque jucundum non auguratur? Nam Deum I. *Corint.* 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* I. *Joan.* 3. v. 2. *Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* I. *Corint.* 2. v. 9. Et *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Demum summam quoque puritatem, atque sanctitatem Lex Evangelice in suo fine habet, si ad Deum ipsum comparetur: nam ad majorem Dei gloriam, cultum, & honorem sin-

singula præcepta, quæ in ea continentur, ordinata sunt. Unde illa tam sæpe in Evangelica lege repetita: *Roman.* 11. v.36. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula.* I. *Corint.* 10. v.31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis: omnia in gloriam Dei facite. Ephesio.* 1. v.12. *Ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo. Philipp.* 1. v.11. *Repleti fructu justitiæ per Jesum Christum in gloriam, & laudem Dei. Philipp.* 4. v.20. *Deo autem, & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum.* I. *Petri* 4. v.11. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum.* Sive ergo ad homines, sive ad Deum Lex Evangelica referatur, maxima in illius fine puritas, atque sanctitas continetur.

§. IV.

Di his, quæ ad prædicationem Evangelicæ Legis consequuta sunt.

Caussam cognosci per effectus; omnes Philosophi semper consenserunt. Hoc vero est illud argumenti genus, quod expendendum modo aggredimur, ut de Divinitate Evangelicæ Legis magis magisque constet. Talia enim ad promulgationem hujus Legis consequuta fuisse contendimus, ut de Divina origine illius nullum dubitandi locum relinquant.

Pro-

Propositio. Quæ in promulgatione Legis Evangelicæ contigerunt, eam nonnisi Divinam esse posse demonstrant.

Ut propositionem per partes distincte probemus, expendamus primo, quo tempore: 2. per quos Lex Evangelica promulgata: 3. qua ratione suscepta fuerit: 4. quæ præcepta in se ipsa contineat: 5. tandem quomodo ubique diffusa apud omnes.

Quoad primum ergo attinet, Lex Evangelica eo tempore promulgari cæpit, quo superstitionibus idolatricis antiqua jam, atque inveterata præscriptione fere omnes detinebantur: his enim non solum minuti e plebe homines, sed etiam Principes, Philosophi, Doctores, & Sapientes addicti erant, qui nihil magis cordi habebant, sicuti semper unaquaque in re contigisse videmus, quam ut patria instituta servarent. Hic ergo quoad Religionem erat status fere omnium. Vivendi autem ratio, quam sequebantur, quænam tandem fuerit, quam libera, quam dedita voluptatibus, quam indulgens lenocinio sensuum, atque etiam effusa in omne genus vitiorum, ad quæ consectanda, eorum quoque Deorum, quos colebant, exemplo trahebantur, nemo est, qui ignoret.

Illud quoque observetur oportet, initio promulgationis Evangelicæ Legis homines ignorantiæ tenebris non fuisse involutos. Nam, regnante Augusto, tum scientiæ, tum artes summo in pretio, ac honore fuerunt, uti etiam accidit in subsequentibus sæculis. Tan-

Tandem illud quoque præ animo habendum est, promulgationem Evangelicæ Legis non solum graves initio contradictiones passam, sed etiam tum Imperatorum, tum Præfectorum provinciarum, potentiorumque omnium, atque infimæ plebis vi eam summa contentione oppugnatam fuisse, ita ut nihil non tentatum sit, per quod everti, & destrui posset. Ex quibus omnibus illud constat, tum eloquentiam exquisitiorem, tum ampliorem potestatem, tum auctoritatem excellentiorem in iis requiri debuisse, qui Evangelicam Legem promulgarunt, quo possent homines a patriis institutis revocare, atque ita revocare, ut etiam vim sibi maximam inferrent; persuadere, quæ eorum pravis inclinationibus contraria erant; confutare contradicentes, oppugnantibus resistere, omnique conditioni personarum sese fortiter opponere: sed neque eloquentia, neque potestas, neque humana auctoritas in iis ulla erat, qui legem Evangelicam promulgarunt: ergo divinitus factum fuisse, ut contra veterem sui institutionem, contra inclinationem sensuum, & instituta Majorum, contra omnes humanæ prudentiæ regulas Gentes eam amplecterentur, negari non potest.

Si autem expendamus, qua ratione Evangelicæ veritates in hominum animos pervaserint, nonnisi Divinas eas esse posse, adhuc evidentius constabit. *Neque mirum admodum est* (ita Origenes lib. 3. contra Celsum num. 68. postquam aliquorum exempla retulit, qui per

Philoſophiæ ſtudium ad ſanam mentem revocati ſunt) *ſermones Philoſophicos tam apte, tam compoſite, tam ornate elaboratos, tantum habuiſſe momenti ad corrigendos illos, qui ſupra memorati ſunt, alioſque peſſimæ vitæ homines. Sed quum videmus ſermones illos, quos demiſſos, & humiles vocat Celſus, inſtar incantationum tanta vi, & efficacia præditos: quum videmus, inquam, ſermonibus illis a libidinoſa ad temperantem vitam, ab iniqua ad juſtam, a timiditate ad tantam conſtantiam revocari multitudinem, ut pietatis cauſſa, quam commendatam illis animadvertit, mortem pro nihilo putet; quo modo non merito tantam poteſtatem admirabimur? Nam ſermo eorum, quibus ab initio vulgandæ noſtræ doctrinæ partes datæ ſunt, quique in conſtituendis Dei Eccleſiis laborarunt; & eorum prædicatio perſuaſit quidem, ſed non ea ratione, qua Platonicæ ſapientiæ doctores, aut quilibet alii Philoſophi, qui nihil ſupra humanæ naturæ vires poterant. Sed argumenta, quibus utebantur Apoſtoli, data illis à Deo fuerant, vimque perſuadendi a ſpiritu, & virtute habebant. Quapropter promptiſſime, ac celerrime ſermo eorum quocumque pervaſit: immo ſermo Dei, qui per illos mutabat, quos natura, & conſuetudo ad peccatum trahebant: & quos ne pœnis quidem quiſquam hominum correxiſſet, hos correxit, efformavit, ad ſuam voluntatem convertit.* Quis ſanæ mentis negare poteſt, hæc non niſi divinitus accidere potuiſſe?

At

At vero nonne Evangelicæ doctrinæ divinitas inde quoque constat, quia non solum armis, atque potentia propagata non fuit, sed etiam inter oppositiones, & contradictiones, quum ex adverso nemo hominum pro ea pugnaret, quam maxime crevit? Quid? Quum auctor illius mortem ignominiæ plenam subiisset, sperari ne unquam poterat, non defuturos, qui eam aperte promulgarent, atque prædicarent; immo denunciarent omnibus, neminem, nisi eamdem amplecteretur, æternam felicitatem consequi posse? Hinc Origenes lib. 1. *contra Celsum* num. 26. *Ego quidem*, inquit, *non quo meæ Religioni assentari velim, sed rem suo quamque momento ponderans, dicere ausim, qui sibi proponunt ægris corporibus restituere sanitatem, eos hunc finem non assequi sine Dei voluntate. At si quis posset a vitiorum colluvie, a libidine, a nequitia, a contemptu numinis animas avertere, tantique operis specimen in centum hominibus (exemplo sit numerus) dedisset, quos revocasset ad meliorem frugem, hunc nemo jure dixerit sine Deo centum illos homines a tantis vitiis liberavisse. Quod si qui hæc prudenter recogitans concesserit, nihil boni sine Deo hominibus accidere, quanto fidentius id de Jesu affirmabit, quum eorum, qui Christi doctrinæ adhæserit, pristinos cum novis mores comparavit, animadvertetque quantis spurcitiis, quantis injustitiis, quantis cupiditatibus dediti illi antea fuerint, quam decepti, ut Celsus, suique similes loquuntur, fuissent, hanc-*

que amplexi essent doctrinam, quæ illorum judicio est humanæ vitæ pernicies; quanta autem, ex quo illi doctrinæ se dociles præbuere, æquiores, graviores, constantioresque sint redditi, ut eorum quidam cum eximiæ puritatis amore, tum quo castius ad cultum Divinum accedant, venereis voluptatibus etiam lege permissis abstineant.

Num.27. *Hæc qui secum reputaverit, is Jesum & majora humanis viribus ausum esse, & quæ ausus est, perfecisse intelliget. Nam vel ab initio nemo non impedire conatus est, quominus Jesu doctrina per totum orbem spargeretur, reges cujusque ætatis, exercituum præfecti, & duces, quicumqae, ut verbo dicam, aliqua potestate præditi fuerunt, præterea qui in urbibus auctoritate pollebant, milites, populi. Hos omnes vicit, quippe quæ doctrina Dei erat, & natura hujusmodi, quæ nec impediri posset, & adversarios omnes superaret. Græciam omnem, majorem barbararum gentium partem subegit, innumerasque animas ad Dei cultum, quem docebat, adscivit.*

Modo autem breviter inquiramus, quænam tandem sint, quæ per Evangelicam Legem omnibus proponuntur. Dei filium e cœlo descendisse, natumque in hoc mundo ex muliere virgine esse, itemque postquam multa sane gravia, atque indigna a Judæis sustinuisset, cruci affixum instar sceleſtissimi hominis, turpem mortem oppetiisse, prima fundamenta sunt Christianæ Religionis. Hisce autem omnibus

bus humanæ rationi nihil magis impervium esse posse, nemo non videt. Quid vero Religio ista non præcipit, quod nostræ corruptæ naturæ, qua tantopere seducimur, aperte non adversetur? Nullum est genus vitiorum, quod non damnet, nullaque virtus, cujus exercitationem non præcipiat. Sensibus ut ne indulgeamus, severe prohibet: vult ut carnem cum omnibus suis concupiscentiis cohibeamus, aliosque habeamus sicuti nos ipsos: Deo autem ut semper obtemperemus, mandat, & eum religiosiori cultu tum interno, tum externo prosequamur: demum non solum vetat, ut nihil turpe committamus, sed etiam ut nec mente, aut cogitatione persolvamus. Age vero, quænam Hebræorum, & Ethnicorum institutio fuerit, modo consideremus. Messiam illi quidem expectabant, verumtamen opibus, atque potentia præditum, qui eos vi, & armis de inimicis eorum ulcisceretur; isti nihil nisi voluptates consectabantur, & in omne vitiorum genus effusi erant. Qua ergo fieri ratione potuit, ut Legi Evangelicæ utrique subjicerentur? Profecto nisi Divina virtus intercessisset, numquam factum esset. Divinitas ergo Evangelicæ Legis ea fuit, quæ multorum Judæorum, atque Ethnicorum corda penetravit, quæque mirabili sane, & inaudito prodigio effecit, ut alii, ac antea erant, omnino evaderent, & pristinos mores, institutionem, consuetudinem, mentemque exuerent. Quapropter ea quoque, quæ in Lege Evangelica pro-

ponuntur, Divinitatis, quam in se habet, evidenti argumento esse debent, quum nonnisi Divina virtus animos omnium, quamvis inter se moribus, & institutione contrarios, pervadere potuerit.

Neque in paucioribus, vel in una, aut altera ratione solum, per prædicationem Evangelicæ Legis tanta tamque mirabilis mutatio contigit, sed in omnibus, eaque ad nostra usque tempora perseverat. *Hesterni sumus* (inquit Tertullianus in Apologetico lib.2) *& vestra omnia implevimus; urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa*. Unde etiam Arnobius in fine lib. I. *adversus Gentes*, contra Ethnicos hoc argumenti genus ita urget: *Nonne vel hæc saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam brevi temporis spatio, immensi nominis hujus sacramenta diffusa sunt? quod nulla jam natio est tam barbari moris, & mansuetudinem nesciens, quæ non ejus amore versa molliverit asperitatem suam, & in placidi sensus assumpta tranquillitate migraverit? Quod tam magis ingeniis præditi Oratores, Grammatici, Rhetores, Consulti juris, ac Medici, Philosophiæ etiam secreta rimantes, Magisteria hæc expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant? Quod a Dominis se servi cruciatibus affici, quibus statuerint, malunt, solvi conjuges a matrimoniis, exhæredari a parentibus liberi, quam fidem rumpere*

pere Christianam, & salutaris militiæ sacramenta deponere.

Tandem quum Christiana Religio, ex quo promulgata fuit, semper suos cultores ubique gentium habuerit, neque ullo unquam tempore desierint, qui gravissimos labores susceperint, ut aliis eamdem manifestarent, atque etiam cum suæ vitæ periculo defenderint, ex iis omnibus, quæ ad prædicationem ejus consequuta sunt, Divinam illam esse tam manifestum est, quam quod maxime.

Modo vero ex his omnibus, quæ pluribus fortasse disputavimus, quam necesse erat, hanc argumentationem instituimus. Ea Lex nonnisi Divina esse potest, quæ longa institutione hominum contra pugnante, potentioribus sapientioribusque contradicentibus, tota humana natura acriter reluctante, tandem ab omnibus cujusvis conditionis hominibus cum gravi etiam periculo vitæ, jactura bonorum, atque amissione suorum, libenter suscepta fuit, præsertim si iis quoque assentiri deberent, quæ supra humanam rationem erant, neque id solum, sed etiam inde futurum esse viderent, ut contra se ipsos, suasque pravas cupiditates, quibus indulgere consueverant, bellum semper gerere oporteret; sed in promulgatione Evangelii hæc omnia evenerunt: ergo.

Hisce vero omnibus illud quoque accedit; quo sane Divinitas hujus legis magis magisque confirmatur, ejusdem promulgatores fuisse homines, qui vel propter suam originem, aut digni-

dignitatem, vel propter eloquentiam, aut eruditionem, vel demum propter potentiam, aut majestatem, nullam auctoritatem apud alios habere poterant.

Alterum superesset genus argumentationis, quod ad demonstrandam Divinitatem Evangelicæ Legis contra Deistas urgere possemus, atque illud petitur ex martyrio, quod Apostoli, ceterique deinde Christiani pro ejus defensione subierunt: verum de hoc alias, & potissimum de martyrio Apostolorum data opera, quando nullam suspicionem falsitatis in iisdem inesse posse demonstrabimus.

SCHOLION.

Quamvis sanctitas Evangelicæ Legis sit excellens, atque singularis, non tamen inde sequitur, Legem Evangelicam multo ante tempore promulgari debuisse, uti Deistæ inepte contendunt, atque præter alios Tyndalius opponit.

Nam nullam eos ex hoc capite calumniandi occasionem arripere posse, ex his constat, quæ Parte I. quæst. 1. art. 3. in responsionibus ad objectiones disseruimus. Quoniam vero nihil ipsi opponunt, quod etiam Ethnici antea non opposuerint, hæc ex Arnobio lib. 2. *adversus Gentes* superaddenda esse putamus: *Ratio & hic fuit, cur non nuper, sed hodie Salvator nostri generis adveniret. Quænam igitur ratio*

ratio est? Non imus inficias nescire nos. Neque enim promptum est cuiquam Dei mentem videre, aut quibus modis ordinaverit res suas. Homo, animal cæcum, & ipsum se nesciens nullis potest rationibus consequi quid oporteat fieri, quando, vel quo genere ipse rerum cunctarum Pater, Moderator, & Dominus scit: nec si ego nequivero caussas vobis expromere, cur aliquid fiat illo, vel hoc modò, continuo sequitur, ut infecta fiant, quæ facta sunt, & amittat res fidem, quæ generibus virtutum tantis, & potestatum indubitabilis esse monstrata est.

ARTICULUS II.

Num Divinitas Revelationis, quæ in novo Testamento continetur, sit confirmata miraculis.

ALterum modo, quod a miraculis ducitur argumentum Divinæ Revelationis, expendere aggredimur. Quum enim Dei tantum virtute miracula fieri posse jam ostenderimus; consequens inde est, ut ea doctrina Divina sit, in cujus confirmationem miracula patrata fuerint.

§. I.

De veritate miraculorum Christi.

P*Ropositio*. Christus vera, & realia miracula fecit.

Prob. Vera, & realia fuisse Christi mi-

racula, si sacris literis habenda est Fides, ex simplici earum lectione luce meridiana clarius apparet, neque ullus homini sanæ mentis relinquitur ambigendi locus: adeo ut ii quoque qui Christo advarsabantur, nullamque calumniandi occasionem non quærebant, de iis convicti fuerint: ergo vere, physice, atque realiter hæc omnia contigisse oportuit. Quapropter Arnobii verbis, quibus ipse Ethnicos sui temporis redarguebat, etiam hujus ætatis impios homines nos compellare possumus: *Sed non creditis gesta hæc. Sed qui ea conspicati sunt fieri, & sub oculis suis viderunt agi, testes optimi certissimique auctores & crediderunt ipsi, & credenda posteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam isti sunt, fortasse quæritis? gentes, populi, nationes, & incredulum illud genus humanum: quod nisi aperta res esset, & luce ipsa (quemadmodum dicitur) clarior, nunquam rebus hujusmodi credulitatis suæ commodarent assensum. At nunquid dicemus illius temporis homines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut quæ nunquam viderant, vidisse se fingerent, & quæ facta omnino non erant, falsis proderent testimoniis, ut puerili assertione firmarent? quumque possent vobiscum, & unanimiter vivere, & inoffensas ducere conjunctiones, gratuita susciperent odia, & execrabili haberentur in nomine? Quod si falsa, ut dicitis, historia illa rerum est, unde tam brevi tempore totus mundus ista Religione completus est? aut in unam*

coire

coire qui potuerunt mentem gentes regionibus disjunctæ, ventis, cælo, convexionibusque dimotæ? Asseverationibus illectæ sunt nudis, inductæ in spes cassas, & in pericula capitis immittere sese sponte temeraria desperatione voluerunt: quum nihil tale vidissent, quod eas in hos cultus novitatis suæ possit excitare miraculo. Immo quia hæc omnia & ab ipso cernebant geri, & ab ejus præconibus, qui per orbem totum missi fuerant, veritatis ipsius vi victæ & dederunt se Deo, nec in magnis posuere dispendiis membra vobis projicere, & viscera sua lanianda præbere. Sed conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt, extulere in immensum exigua gesta, & angustas res satis ambitioso dilatavere præconio. Atque utinam cuncta referri in scripta potuissent, vel quæ ab ipso gesta sunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure, & potentia terminata. Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum, aut apprehendere locum fortasse possetis (quod videretur esse simillimum veri) & incrementa rebus apposita, & inditas scriptis, & commentariis falsitates ... Argumenta vos nobis (ita prosequitur idem Arnobius *in lib.* v. contra Gentes, eas fortius, ac validius urgendo) *& suspicionum argutias proferetis, quibus ipse si Christus (cum pace hoc ejus, & cum venia dixerim) populorum in conventibus uteretur; quis acquiesceret, quis audiret, quis eum permitteret aperte aliquid judicare? aut quis cassa, & nuda jactantem (quamvis esset imprudens, & facilitatis stolidæ) sequeretur?*

 Virtu-

Virtutes sub oculis positæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipso fiebant palam, vel ab ejus præconibus celebrabantur, in orbe toto, eas subdidit appetitionum flammas, & ad unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes, & populos fecit, & moribus dissimillimas nationes.

Et re quidem vera quæ Christus miracula fecit, physica, atque realia fuisse probavit eventus. *Nunc vero* (ita Origenes contra Celsum lib. 1. num. 68.) *nullus præstigiator per ea, quæ facit, spectatores ad morum emendationem excitat, aut Dei timorem docet, qui spectaculis stupent, aut studet persuadere, ut vivant, quasi Deo rationem reddituri. Nihil horum præstigiatores faciunt, quia non possunt, aut non consilium habent, aut nolunt corrigendis hominibus operam dare, quippe qui ipsi turpissimis infamissimisque vitiis referti sunt. Hic vero, qui miraculis suis spectatores eorum, quæ bene faciebat, ad morum correctionem adducebat, quomodo erit existimandus se præbuisse non solum illis, qui proprie discipuli ejus vocati sunt, sed etiam reliquis omnibus exemplum optimæ vitæ. Discipulis quidem, ut excitarentur ad homines docendos, quæ sit voluntas Dei; reliquis vero hominibus, ut ejus verbis, & moribus potius quam miraculis edocti, quommodo vivere oporteat, & spectarent, ut quæcumque facerent, Deo placerent omnia*; Et lib. 2. num. 51. *Neque enim*, inquit, *malis artibus magicisque præstigiis constituta fuisset gens tota, quæ despectis non*

non solum simulacris, falsisque numinibus, quæ reliqui homines colebant, sed etiam rebus omnibus creatis ad Deum rerum omnium principio carentem ipsum assurgit. Verum etiam S. Augustinum contra hujusmodi impios homines lib.22. *de Civitate Dei* cap.8. differentem audiamus. *Cur, inquiunt, nunc illa miracula, quæ prædicat is facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere, necessaria fuisse priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente, non credit. Verum hoc ideo dicunt, ut nec tunc illa miracula facta fuisse credantur. Unde ergo tanta fide Christus usquequaque cantatur in cælum cum carne sublatus? Unde temporibus eruditis, & omne, quod fieri non potest, respuentibus, sine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus? An forte credibilia fuisse, & ideo credita esse dicturi sunt? Cur ergo ipsi non credunt? Brevis est igitur nostra complexio: aut incredibilis rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant, & videbantur, fecerunt fidem; aut certe res ita credibilis, ut nullis, quibus persuaderetur miraculis, indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem*.

ARTI-

Articulus III.

Num Divina Revelatio, quæ in novo Testamento continetur, prophetiis confirmata sit.

Ultimum hoc argumentum Divinitatis, quam Revelatio, quæ in Novo Testamento continetur, in se habet, superest, ut expendamus. Quum enim ea, quæ prophetice prævidentur, naturaliter cognosci non possint, semel ac in Novi Testamenti libris multas prophetias contineri perspectum sit, ex hoc quoque capite eos divinitus inspiratos fuisse, colligi debet. Licet vero quæ Christus tum quoad Apostolos, tum quoad Judæos, tum quoad Gentiles futura prædixit, in Sacris Evangeliis præcipue contineantur; quia tamen etiam ceteri libri Novi Testamenti ad ipsa Evangelia referuntur, idemque tum in Evangeliis, tum in aliis Sacris libris futurum esse præsupponitur, consequens inde est ut per prophetias Evangeliis contentas divinitas omnium simul Novi Testamenti librorum comprobata maneat.

Propositio. Multa Christus tum quod Apostolos, tum quoad Judæos, tum quoad Gentiles futura prædixit, quæ non solum naturaliter cognosci non poterant, sed etiam contra omnem humanam conjecturam erant.

Prob. propositio quoad primam partem. Primo quidem virtutem miracula patrandi Apostolis se collaturum esse, Christus promisit, *Matt.*

*Matt.*10. v.8. & *Lucæ* 10. v.9. qua ut in aliorum beneficium, uterentur, simul præcepit. Vult autem, ne aurum, argentum, aut pecuniam, immo neque peram in via, aut duas tunicas, neque calceamenta, nec virgam possideant, *Matt.*10. v.9. & 10. unaque futurum spondet, ut Evangelium in universo orbe prædicetur, *Matt.*24. v.14. Quamvis omnibus benefacturi sint; tamen trahendos esse ad Reges, atque Præsides, futuros odio omnibus, multaque mala passuros, immo a parentibus, fratribus, atque amicis esse prodendos, ac demum crudelem mortem subituros vaticinatur, *Matt.*10. v.22. & seq. Tum promissum sui Patris in eos missurum se esse, atque ita virtute eos ex alto indutum iri, Christus Apostolis promisit, *Lucæ* 24. v.49. tum spiritu veritatis, quem mundus capere non potest, replendos esse confirmavit; *Joannis* 14. v.16. & 17. unde eosdem quoque monuit, ne cogitarent, quomodo loquerentur, quia ipse, quid loquerentur, iisdem daturus erat, ita ut Spiritus Patris in eis loqueretur, *Matt.*10. v.19. & 20. Hæc vero omnia si simul comparentur, nihil magis contrarium conjecturæ hominum adinveniri posse comperiemus. Quandoquidem quamvis Apostoli nulla doctrina expoliti essent, atque in maxima rerum omnium ignoratione versarentur; tamen eosdem statim ita sapientes evasuros esse, Christus prædixit, ut nemo iisdem resistere posset: quæ autem quantalibet potestate, & dignitate præditus facere nullus pote-

poterat, summa cum facilitate ab iis facienda esse monuit, ita ut non solum elementis, sed etiam ipsi morti imperarent. Licet vero & benefacturi omnibus, & neminem læsuri essent; attamen quod sua sponte incredibile videri debebat, vel ab ipsis parentibus, fratribus, cognatis, atque amicis male habendos prænunciavit. Demum Evangelium ubique promulgandum esse confirmavit, etsi pauci, & ii quidem infimæ conditionis homines, omni prorsus humana ope destituti, atque ad mortem ubique a Principibus, & Magistratibus conquisiti, ejusdem præcones futuri esse deberent. Profecto si hæc omnia contra humanam conjecturam non sunt, nihil sane video, quod esse possit. Superest ergo, ut ab eo, qui ab æterno omnia novit, longe prævisa fuisse dicamus: nam eo modo, quo sunt prædicta, adamussim contigerunt.

Probatur propositio quoad alteram partem. Ac qua ratione Judæi Christum a se rejecturi essent a Sanctis Prophetis Osea, Isaia, Jeremia, atque aliis fuisse prædictum, hic referre omittimus, sed ea tantum memorabimus, quæ ipse Christus de iisdem prænunciavit. Ac primo quidem multa de eis sub parabolis futura prædixit: nam hominibus ad prandium invitatis, qui tamen venire renuerant, Judæos, Gentiles vero exteris, qui præter spem eorum ad prandium admissi erant, Christus aliquando comparavit, ut habetur Lucæ 21. v. 1. & sequent. Aliquando etiam eosdem Judæos iis agri-

agricolis assimilavit, qui non solum plures servos a suo domino sibi missos occiderant, sed & proprium filium ejus crudeliter mactarant, ex quo commeriti fuerant, ut a suo domino perderentur, vineaque aliis agricolis locaretur. Quam parabolam quum ad se omnino pertinere Judæi intellexissent, *Quærebant eum tenere, & timuerunt turbam: cognoverunt enim, quoniam ad eos parabolam hanc dixerit*, ut testatur ipsemet Lucas Evangelista Cap. 12. v. 12. Unde nisi timuissent turbas, effecissent nescientes, ut in se altera quoque pars parabolæ, maturius, quam par erat, adimpleretur.

Verum non solum sub parabolis, sed etiam aperte, atque manifeste, quæ Judæis eventura essent, Christus prædixit. *Matthæi* 23. cap. postquam hypocrisim, quam variis actionum generibus Judæi præseferebant, Scribis, atque Pharisæis exprobravit, similes eos Patribus suis statuit esse futuros, quia sicut illi missos ad se Prophetas occiderant, idem quoque, & ipsi peracturi essent: *Ideo ecce ego* (inquit Christus) *mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem*. Non solum autem quæ passuri propter hujusmodi scelera essent, sed etiam quo tempore, determinavit: *Amen dico vobis*, ait illis, *venient hæc omnia super generationem istam*. Quo significavit fore, ut etiam qui tunc vivebant, pœnas iniquita-

quitatis laturi essent. Quæ autem hæ pœnæ futuræ forent, ad Jerusalem conversus ita exposuit: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti! Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Hinc, & filiabus Jerusalem, quæ ipsum flebant, dum ad mortem iret: *Jesus dixit: filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ steriles, & ventres, quæ non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* *Lucæ* atem 19. cap. v.43., & 44. quænam hæc mala essent, quæ civitati Jerusalem imminebant, per hæc verba distincte recensuit: *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique. Et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Neque solum Jerusalem destruendam esse Christus prænunciavit, sed etiam Judæos usque ad finem mundi perduraturos esse prædixit: nam de ultima judicii die sermonem habens, generationem eorum præterituram non esse affirmavit, antequam adimplerentur ea omnia, quæ de hac die prophetaverat.

Hæ sunt præcipuæ prædictiones, quas Christus, de Judæis edidit. Ut autem adimpletas easdem fuisse cognoscatur, satis est ad

ea

ea advertere, quæ in Jerusalem obsidione contigerunt, quomodo, & quo tempore capta, atque deleta fuerit, qua ratione Judæi in perpetuum ex ea ejecti, & ubique dispersi usque modo perseverent.

Deistæ, quando de iis agitur, quæ a Jesu Christo facta, aut prædicta fuere, quum non habeant, quo confugere possint, ad Josephi silentium appellare consueverunt. Id autem quamvis frustra faciant, quia, uti jam alias monuimus, testimoniis negativis everti non potest, quod evidentissimis positivis testimoniis semel constitutum est; tamen in re proposita ne hoc quidem tam futile effugium ipsis relinquitur. Quandoquidem Christum & Jerusalem evertendam, & templum destruendum prophetasse novimus, & Jerusalem eversam, ac templum destructum ex ultimo Josephi libro *de Bello Judaico* compertum habemus.

Non sine mysterio autem Christus excisionem Jerusalem una cum ruina totius universitatis rerum, quæ ultima judicii die futura erit, simul conjunxit. Sicut enim Jerusalem, dum in Divinorum præceptorum observatione perstitit, Ecclesiæ, regnique cœlestis figura fuit, & ideo Sancti Prophetæ, quæ ad Jerusalem, & ad Ecclesiam, regnumque Beatorum pertinent, sæpe simul conjunxerunt; ita dum a Deo aversa fuit, illorum omnium malorum imago evasit, quæ ultima judicii die universum orbem sunt occupatura. Hic mos in Sacris litteris sæpe servatur, ut in iis veritas etiam

etiam adumbrata figuris sæpe conspiciatur.

Tandem illud quoque a Christo de Judæis prædictum fuit, sicuti S. Justinus *in Dialogo cum Tryphone* num.51.observavit, in posterum futurum esse, ut nullos Prophetas haberent, sicuti revera contigit: *Nullum autem* (inquit S. Martyr) *deinceps futurum in vestro genere Prophetam dixerat, atque ut homines agnoscerent novum illud testamentum, quod olim Deus institutum iri prædicaverat, jam tum adesse; hoc est, se ipsum, quippe qui Christus esset, sic eos alloquebatur*: Lex, & Prophetæ usque ad Joannem Baptistam.

Prob. propositionis tertia pars. Sicuti multa de Judæis, ita plura quoque de conversione gentium per parabolas a Christo prædicta fuere, uti constat ex *Matthæi* 8., 22., & 23. cap., atque ex *Lucæ* cap.13., & 14. Attamen, his omnibus omissis, ea tantum expendamus, quæ Christus de iisdem futura esse apertius prænunciavit. Quum Gentiles quidam Jerusalem convenissent, ut Deum Judæorum adorarent, atque a Philippo quæsiissent, ut Jesum sibi manifestaret, idque tum Philippus, tum Andreas Christo retulissent: *Jesus respondit eis dicens: venit hora, ut clarificetur filius hominis*. Quibus verbis Sanctum nomen ejus a Gentilibus quoque glorificandum esse significavit, futurumque esse prædixit, ut princeps hujus mundi foras ejiceretur (laudato cap.2. v.31.) hoc est, gentes, quæ idololatriæ, superstitionibus, atque principi hujus mun-

mundi antea serviebant, sibi obsequuturæ essent. Unde etiam Christus, quando a mortuis redivivus Apostolis apparuit, *Lucæ* 24. v.45. *Aperuit illis sensum, ut intelligeret Scripturas. Et dixit eis: quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam in omnes gentes, incipientibus a Jerosolyma. Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto*. Pœnitentiam ergo, remissionemque peccatorum in omnes gentes ab Apostolis prædicandam esse Christus prædixit, atque ob hanc caussam virtute ex alto eos induendos præsignificavit, propter quam sibi testes futuri erant *Actorum* 1. v.8. *in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Hoc autem, quod de conversione gentium præmonuit; ut certius constare posset, suam Ecclesiam semper augendam esse non solum variis multiplicibusque parabolis confirmavit, *Matt.*13. sed etiam nunquam futurum, ut portæ inferi adversus eam prævalerent, aperte prænunciavit. *Matt.*16. v.18.

Hæc autem omnia, quæ tum de conversione gentium, tum de Ecclesiæ multiplicatione, ejusque perpetua duratione Christus prædixit, supra omnem humanam conjecturam, probabilemque opinandi rationem fuisse, nullus sane negare poterit. Quid enim magis præter expectationem hominum esse poterat, quam

ut

ut pauci homines non solum omni humana ope destituti, sed etiam litterarum expertes, atque in nulla re gravi antea exercitati, tantum opus contra potentes, atque sapientes, omnesque cujusvis conditionis homines sibi adversantes, perficere possent? Perfecerunt tamen, atque cumulatissime præstiterunt, quia qui hoc per eos faciendum esse prædixerat, idem corda omnium in sua manu habet, eaque regit, atque moderatur, & quæcumque voluerit, suis præconibus elargiri potest. Quid? Ecclesiam perpetuo duraturam solummodo a Deo prævideri potuisse, nonne unicuique manifestum esse debet, si animo advertat, quam sæpe, atque multum, ut ea omnino deleretur, humana potestate certatum fuerit?

Jamvero in hoc prædictionem ejusmodi ab omni humana conjectura longo intervallo, distare constat. Si tamen ea, quæ Christus prædixit, cum eventu comparemus, manifestum omnino est nihil certius præcognosci potuisse. *Acta Apostolorum* qui percurrerit, atque statum, quem omni tempore a prædicatione Apostolorum Ecclesia habuit, diligenter expenderit, oculis cernet adamussim impleta ea omnia fuisse, quæ Christus prædixit.

Hisce prædictionibus, de quibus usque modo egimus, multa alia superaddere possemus, quæ de sua passione Christus prænovit, atque prænunciavit; verum quæ recensuimus, sufficere abunde putamus, ut Divinam Revelationem, quæ in Novo Testamento continetur, pro-

prophetiis confirmatam fuisse, nullus dubitandi locus apud homines ratione utentes, atque Philosophos remanere possit.

Dices contra primam partem. Dogmata Christianæ Religionis prius ab Apostolis prædicata, quam scripta fuerunt: ergo fieri potuit, ut quum Apostoli maximum ex sua prædicatione fructum consequi viderent, illum a Christo prædictum fuisse scriberent, quo majorem sibi auctoritatem conciliarent.

R., hanc conjecturam Deistarum non solum viris Sanctissimis quam maxime injuriosam esse, sed etiam omni rationi adversam, immo ne apparentem quidem probabilitatem ullam habere. Quandoquidem fieri nullo modo potuisset, ut tot labores, atque contumelias, tam exquisita supplicia, & ipsam mortem Apostoli pro Christo sustinerent, si neque de Sanctitate illius convicti, neque de Divinitate persuasi fuissent. Nullam deinde fidem apud primos discipulos obtinere potuissent, si alia quam, quæ voce promulgaverant, litteris tradidissent: quo fit, ut quoniam a Christo prædicta fuisse, quæ eventura erant, literis tradiderunt, verbis quoque idem eos ante promulgasse intelligatur. Postremo qua ratione contingere potuit, ut Apostoli licet omni humano auxilio destituti essent, tamen tantum opus per se aggressi fuerint, novamque in universo mundo Religionem invehere tentaverint? Unde vero evenit, licet in rerum omnium ignoratione versarentur, ita eos dicendo valuisse, ut tanta multitudo gentium etiam

etiam cum maximo detrimento ſuorum commodorum, atque præter eam inclinationem, quam tum naturaliter, tum ex educatione ad voluptates habebant, eorum dictis paruerint? Hæc ſane omnia, ut multa alia omittam, de quibus in hac quæſtione mentionem fecimus, nihil magis a veritate alienum eſse poſse colligitur, quam ut Apoſtoli hac in re mentiri potuerint. Unum tantum ſuperaddam, quo ſolo hæc futilis, atque impudens ſuſpicio Deiſtarum refelli poteſt; hoc eſt, ea, quæ a Chriſto prædicta fuiſse, Apoſtoli affirmarunt, non ad eorum prædicationem tantum ſpectare, verum etiam ad omnia ſequentia tempora, quibus Eccleſia duratura erat: ergo ex iis, quæ in promulgatione Evangelicæ Legis ſibi contingerant, affirmare Apoſtoli non poterant, illa omnia a Chriſto prædicta fuiſse, quæ litteris tradiderunt.

At vero illud quoque advertatur oportet, prius Evangelia conſcripta fuiſſe, quam Jeruſalem deſtrueretur, unaque cum deſtructione Jeruſalem futurum eſſe prædictum, ut gens Judæorum captiva duceretur, ſicuti ex *Lucæ* 21. ca. v.24. conſtat. Qua ergo ratione Scriptores Evangeliorum ex iis, quæ in promulgatione Divinæ Legis ſibi contigerant, tum deſtructionem Jeruſalem, tum diſperſionem Judæorum, & quidem perpetuo duraturam, a ſuo Magiſtro fuiſſe prædictam, litteris mandare potuerunt? Verum de tam futili ſuppoſitione nimis multa, & fortaſſe etiam plura, quam par erat:

erat: nam hac de re, data opera, in sequenti quæstione disputabimus.

Quoniam vero, uti sæpe aliàs monuimus, quæ Deistæ nostri temporis contra Religionem Revelatam opponunt, ea vel a Celso, vel ab aliis hujus furfuris hominibus maxima ex parte mutuati fuere, videamus quid Judæo Celsi hæc eadem objicienti Origenes respondeat lib. 2. *contra Celsum* num. 13. *Criminatur* deinde *discipulos*, quasi finxerint præscisse illum, & prædixisse quæcumque sibi acciderunt. *Sed hoc verum esse, vel invito Celso, demonstrabimus. Præsto enim sunt multa, quæ Christus edidit vaticinia de rebus, quæ Christianis contigerunt etiam subsequutis temporibus. Et quis non admiratur istud: Matt.* 10. v. 18. Ante reges, & præsides ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus, *aliave similia, ubi prænunciat futurum esse, ut sui discipuli vexationem patiantur? Ecquæ enim exorta est inter homines doctrina, propter quam etiam alii puniantur, ut quispiam ex iis, qui Jesum criminantur, dicat videntem eum impia sua falsaque dogmata in crimen vocari, laudi sibi fore putasse, si idem eventurum suis multo ante præsignificaret? Nam si quos oportuit ante reges, & præsides trahi propter doctrinam, quos alios oportuit, quam Epicureos, qui providentiam e medio tollunt? quos alios, quam Peripateticos, qui negant quidquam proficere preces, & mactatas numini victimas? . . . Solis vero Christianis juxta illud a Christo prædictum*: Ante reges,

 & præ-

& præsides ducemini propter me, *per Judices licet ad extremum usque spiritum quietos esse, & domi secure vivere, modo suam religionem ejurent, sacrificia ex more offerant, & solita juramenta præstent. Vide propterea an non hæc magna auctoritate dicta sint: Matt.*10. v.32. Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: & quicumque negaverit me coram hominibus, *& quæ sequuntur. Transfer te jam animo in illud tempus, quo hæc Jesus dicit, & res, quæ nondum contigerant, prænunciatas considera: nisi forte fidem quidem illi denegans, dices frustra illum nugas ejusmodi effutire: neque enim futura esse, quæ prædicit; animi vero dubius, utrum ejus dictis assentiri debeas, nec ne, inquies: si hæc comprobavit eventus, doctrina Jesu firma constiterit, regesque, & præsides de perdendis iis, qui Jesum confitentur, sedulo cogitaverint, tum credemus magna illum a Deo data potestate talem in hominum genus doctrinam invexisse, hæcque non prænunciasse, nisi quia persuasissimum habuerit, nihil suæ doctrinæ adversaturum, quod non facile superaret. Ecquis etiam animo fingens fuisse se, quum Christus loqueretur, non admirabitur istud: Matt.*24. v.14. Prædicabitur Evangelium illud in toto mundo in testimonium illis, & gentibus, *si modo secum recogitet Jesu Christi Evangelium, ut ipse prædixerat, omnibus Græcis, Barbaris, sapientibus, & insipientibus ubique terrarum esse prædicatum. Omnem enim humanam naturam*

ram subegit sibi verbum cum virtute prædicatum, nec ullum est videre hominum genus, quod Jesu doctrinam admittere recusaverit. Præterea cogitat Celsi Judæus ille, qui negat Jesum prævidisse, quæ sibi eventura essent, quo pacto Jesus, dum adhuc Jerusalem staret, & totus Religionis Judaicæ cultus in ea consisteret, prædixerit, quæ illi urbi a Romanis mala impenderent. Nec enim dici potest Jesu familiares, & auditores sine scriptis doctrinam in Evangeliis descriptam tradidisse & nihil litterarum suis discipulis reliquisse, unde res ab illo gestas discerent. At in iis scriptis hoc legitur: Lucæ 21. v.20. Quum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, scitote, quia jam appropinquavit desolatio ejus. *Tunc nullus exercitus Jerusalem circumdabat, circumvallabat, obsidebat. Hoc enim fieri cœptum sub Nerone duravit ad Vespasiani tempora, cujus Vespasiani filius Titus solo æquavit Jerusalem. Quod quidem narrat Josephus accidisse propter Jacobum justum, fratrem Jesu, qui dicebatur Christus: ut autem veritas ipsa clamat, propter Jesum illum Christum, qui Dei filius est.*

Corollarium.

Ex hactenus animadversis concludendum est ex Sacris Novi Testamenti literis constare evidentissime de veritate miraculorum, & Prophetiarum, quæ in comprobationem veritatis Religionis Christianæ a Deo patrata, & præ-

dicta sunt, quæque in eisdem libris clarissime describuntur, & recensentur.

Articulus IV.

Num Auctores librorum Novi Testamenti nos deceperint.

DEistarum nisi tanta impudentia fuisset, ut hoc quoque in dubium revocare auderent, cur hac de re disputare aggrederemur, nullus sane non mirari deberet.

Propositio: Nihil magis a veritate abhorrere potest, quam ut auctores librorum Novi Testamenti nos deceperint.

Prob. prop. Et quidem nunc omissis præcipuis argumentis Divinæ Revelationis, de quibus supra copiose jam egimus, habita tantum ratione ipsorum Auctorum, rerumque gestarum, quas scripserunt, pro eorum rectitudine fidei pugnamus.

Quoties ergo de alicujus historiæ certitudine, atque veritate detegenda agitur, duo sunt, quæ æquo jure assequi contendimus: 1. num Auctores cognoscere potuerint, quæ tradiderunt memoriæ posterorum: 2. num talem probitatem habuerint, ut fidem indubiam mereantur. De priori solliciti sumus, ut cognoscamus, num ab aliis decipi potuerint; de altero autem, ut nullam decipiendi voluntatem habuisse constet.

Duodecim itaque fuerunt, quos Dominus pecu-

peculiariter elegit, ut una cum aliis eorum omnium testes esse possent, quæ ipse fecerat, atque dixerat ab initio sui baptismatis usque ad tempus, quo in cœlum ascendit. *Lucæ* 6. v.13. *Joannis* 15.v.27. *Actorum* 1. v.8. v.22. & 23. Hi ergo cum Servatore nostro diutius familiariter vixerunt, propriis auribus illius Divina præcepta audire, & conspexere oculis multa eorum, quæ fecit, & præsertim ejus admirabilem Resurrectionem, & Ascensionem ad cœlos, quas propriis oculis vidisse apertissime testati sunt. Ex quibus hanc instituo argumentationem. Nemo sanæ mentis dixerit, ab aliquo ea non potuisse cognosci, quæ longo tempore vidit, diutius probavit, omnique genere argumentorum certissime perspexit; sed talia sunt, quæ Apostoli, & Discipuli Christi tradiderunt: ergo dubitari non potest, omnino eis comperta fuisse, quæ scripserunt.

Sanctus autem Paulus quoad ea dogmata falli non potuit, quæ sibi a Jesu revelata fuisse profitetur: Unde quum (*ad Galatas* 2.v.2.) *secundum revelationem* Jerosolymam ascendisset, ut Evangelium, quod prædicabat Gentibus, cum Apostolis communicaret, dexteram *societatis* ab iisdem accepit.

Lucam, atque Marcum quod spectat, fuerunt qui putavere fuisse ambos e numero septuaginta discipulorum (*Lucæ* 10. v.1.) quos Dominus *misit binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus*. De eo tamen dubitari non potest, Marcum

fuisse socium itinerum S. Petri, quæ per Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam habuit. Salutat enim Sanctus Petrus nomine Marci illos omnes, ad quos suam priorem epistolam misit cap. ult. v. 13. Inde autem colligi facile potest, S. Marcum socium itinerum S. Petri fuisse, quæ fecit per Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam, quia per hanc salutationem notum fuisse eis, ad quos scribit, S. Petrus supponit. Quum autem Marcus simul cum Petro Romam venisset, non contenti Romani se Evangelium a Petro audivisse, Marcum rogaruut, ut illud litteris consignaret: quod sane ipse præstitit, & Petrus sua auctoritate confirmavit, quod scripserat Marcus.

Troade vero Sanctus Lucas Apostolo Paulo se socium adjunxit *Actorum* 16. v. 9. & seq. & cum eo simul multis regionibus peragratis, ex Asia in Europam descendit. Hinc Apostolus in Epistola ad *Philemonem* ver. 24. suum *adjutorem* eum vocat, illumque tantum secum esse in II. ad *Timoth.* cap. 4. v. 11. commemorat. *Lucas* (inquit Eusebius Eccles. Histor. lib. 3. cap. 24.) *in ipso Evangelii sui exordio, quæ sibi scribendi caussa esset, exposuit. Ait enim multos temere, & imprudenter aggressos fuisse narrationem earum rerum, quas ipse exploratas haberet; ac proinde se necessitate adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret, certissimam, ac fidelissimam narrationem earum rerum, quarum ipse veritatem partim ex Pauli contubernio,*

nio, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus hauserat, Evangelio suo tradidisse. Sacrorum ergo Scriptorum fuisse neminem, qui non videre ea distincte potuerit, quæ litteris consignavit, nimis perspicuum est.

Sacris autem Scriptoribus propter probitatem, qua insignes præcellentesque fuerunt, certissimam fidem deberi, tam manifestum est, quam quod maxime. Quandoquidem nemo eorum, qui eisdem occulte, aut aperte adversabantur, aliquando tam fuit impudens, ut Sanctis viris aliquid objicere ausus fuerit, per quod fides eorumdem vel leviter suspecta reddi posset. Hoc autem eo magis admiratione dignum est, quo plures fuerunt, qui infensum odium in illos conceptum habebant, & quæ doctrinæ dogmata ipsi proponebant, ceteris omnibus magis adversabantur.

Quandoquidem multa a Christo palam, omnibus videntibus, gesta esse Apostoli publice denunciabant: ergo quum hæc omnia eo tempore denunciarent, quo eorumdem oblivisci homines nondum potuerant, a Judæis uti impostores facile refelli potuissent, præsertim quia ad eorum quoque testimonium Apostoli appellabant; sed quamvis Judæi, qui omnium, quæ Christus gesserat, testes fuerant, in Apostolos immanissimum odium conceptum haberent; licet nihil non tentaverint, ut quæ ab iisdem prædicabantur, refellere possent; etsi quavis arte, & industria curaverint, ne Apostoli sua prædicatione aliquid proficerent, illos

tamen hoc nunquam eis exprobrafse legimus: impie ergo, & contra evidentiffimam rationem agit, qui fidem Apoftolis præbere recufat.

At vero quænam tandem eorum agendi ratio fuerit, quæque docuerint, paucis expendamus. Profecto licet cum fumma alacritate, quæ Jefu Chrifti funt, principibus, atque poteftatibus, gentibus, & nationibus annuncient, quis tamen iis abjectior unquam fuit, fuorumque commodorum magis negligens? Quam Evangelium prædicandi provinciam femel fufcepere, ftrenue profequuntur, neque aliquo labore, aut ærumna, quamvis graviffima, ab ea deterrentur. Si in carcerem recludantur; patienter ferunt: fi virgis cæfi fint; non dolent: fi ex una civitate in alteram ejiciantur; æquo animo fuftinent: ad fupplicia demum fi trahantur; gaudent pro nomine Jefu contumeliam pati. Omnibus vero, qua ratione poffunt, benefaciunt, & immemores injuriarum etiam eos juvare omni ftudio contendunt, quorum furorem experti funt. Omnes infuper omnino conformia docent. Nam Dei honorem curandum, ejufque præceptis diligenter obtemperandum efse, inferere in animis omnium fummopere curant: quæ de mutua dilectione tradunt, omnino Divina, & e cœlo allata effe conftat: voluptates vero fæculi afpernandas, divitias contemnendas quantopere commendant? demum ficuti ipfi in omni genere virtutum fefe exercent; ita ab omnibus virtuofe femper agendum efse denunciant. Quid vero de-

de ea ſimplicitate dicendum, qua in ſcribendo uſi ſunt? Nonne hæc quoque una cum eorum agendi ſanctiſſima ratione, præclariſſimiſque præceptis, quæ tradiderunt, ſimul conjuncta, nullam omnino mendacii ſuſpicionem in Sacris Scriptoribus ineſse poſse fidem evidentiſſimam faciunt?

Sed quid? anne de ingenuitate Apoſtolorum, atque Chriſti Diſcipulorum ſemper magis magiſque non conſtat, ſi ſemel advertamus, quæ de Chriſto evulgarunt, non confuſa, ſed diſtincta, non pauca, ſed multa fuiſſe, non ſeparata, ſed connexa cum aliis, non remota ab ætate hominum, ſed quæ omnes vidiſse poterant, non ſupra ſenſus poſita, ſed viſibilia, eaque etiam ſcripſiſse, ut apud omnes pervulgari, & perpetuæ poſteritati tradi poſsent? *Abfuit ergo ab his*, (ut ait Lactantius Divin. Inſtitut. lib.5. cap.3.) *fingendi voluntas, & aſtutia, quoniam rudes fuerunt. Aut quis poſſet indoctus apta inter ſe, & cohærentia fingere, quum Philoſophorum doctiſſimi Plato, & Ariſtoteles, & Epicurus, & Zenon, ipſi ſibi repugnantia, & contraria dixerint? Illorum autem traditio, quia vera eſt, quadrat ubique, ac tota ſibi conſentit, & ideo perſuadet, quia conſtanti ratione ſuffulta eſt. Non igitur quæſtus, & commodi gratia Religionem iſtam commenti ſunt, quippe qui & præceptis, & ipſa re eam vitam ſequuti ſunt, quæ & voluptatibus caret, & omnia, quæ habentur in bonis, ſpernit, & qui non tantum mor-*

tem pro fide subierint, sed etiam morituros esse se & scierint, & postea universos, qui eorum disciplinam sequuti essent, acerba, & nefanda passuros.

Et re quidem vera in fine suæ vitæ per eam mortem, quam sustinuere, adeo manifestum argumentum suæ ingenuitatis Apostoli dederunt, ut nihil certius, & evidentius excogitari possit, quemadmodum etiam Origenes observavit: *Tanta enim* (inquit contra Celsum lib.2. num.10.) *tam firma ad mortem usque constantia, argumento est Discipulos Jesu non fuisse eos, qui fingerent de magistro suo, quæ neutiquam erant. Apostolos autem pro certis habuisse, quæ scripserunt, æquis rerum æstimatoribus inde perspicuum est, quod tot, ac tanta pertulerint propter eum, quem Dei Filium esse credebant.*

Tandem semel ac Apostolos falsa retulisse, aliosque decipere voluisse admittatur, non solum impostores nequissimi, ac stultissimi omnium, sed etiam Religionis fuissent perturbatores: nam & cunctis in re gravissima omnium non solum sine ullo sui fructu, sed etiam cum gravissimis incommodis atque animæ æterno dispendio turpiter illusissent, atque impie adorandum proposuissent, quod confinxerant ad deceptionem aliorum. Quisnam vero tam audax insanusque fuerit, ut de sanctissimis viris, de quorum fide in Deum, & Religionis cultu, & propriarum animarum cura evidenter constat, ita vel levissime suspicari audeat?

Mul-

Multas argumentationes adhibet Eusebius, ut a Sanctis viris omnem suspicionem falsitatis expungat Lib. III. Demon. Evangelicæ, sed omissis aliis, hanc unam tantum proponimus. *Quod si mendacia hæc erant, quæ illi ex composito finxissent, operæ pretium erit admirari quonam pacto tantus numerus consensum illum inter se in rebus fictis vel usque ad mortem servaverit, neque ullus unquam earum rerum formidine, quæ illis, qui prius sublati fuerant, accidissent, a societate desciverit, neque reliquis publice contradixerit, prodens ea, quæ inter ipsos composuissent. Quin & unus eorum, qui vivum præceptorem prodere ausus est, illico manum sibi ipsi consciscens debitum supplicium invenit. Illud porro quì fieri potest, ut non omnem habeat stuporem, homines seductores, atque illiteratos, qui nec loqui, nec audire quidquam, præter unam patriam linguam, consuessent, non solum excogitasse audaciam peragrandi orbem nationum omnium, sed quum peragraverint, fecisse, quod cogitaverant? Contemplare præterea quantum, & cujusmodi sit, illos de rebus gestis Jesu nullum unquam discrepans verbum protulisse. Si enim in omnibus rebus, de quibus ambigitur, atque in judiciis, quæ ex legibus exercentur, communibusque controversiis, consensus testium certum ratumque id efficit, de quo ambigitur (in ore enim duorum, vel trium testium consistit omne verbum) cur in his quoque veritas non consistet? Quum & duodecim Apostoli fuerint, & septuaginta*

ginta Discipuli, & innumerabilis extra hunc numerum multitudo, qui admirabilem in omnibus consensum servaverint, & rebus a Jesu gestis testimonium dederint, non illud quidem sine sudore, sed cum tormentorum omnisque injuriæ, ac denique mortis perpessione, & quos postremo etiam Deus vicissim suo testimonio comprobaverit, qui verbum, quod ab illis proditum vulgatumque est, ad hunc usque diem etiam in omnem ævum continuat, atque propagat.

Articulus V.

Num Auctores librorum Novi Testamenti alios decipere, atque in errorem inducere potuerint.

NUm, etiamsi voluissent, possibile fuerit; ut Sacri Scriptores suos posteros deciperent, illud est, de quo modo disputare aggredimur. Hac enim ratione de veritate eorum, quæ tradiderunt, tanta evidentia constabit, ut ea nulla major haberi possit.

Propositio. Sacri Scriptores librorum Novi Testamenti, etiamsi voluissent, in errorem alios inducere non potuisent.

Prob. prop. Illud vero priori loco demonstrabimus, impossibile fuisse, ut eos Ethnicos, atque Judæos deciperent, qui Christianæ Religioni nomen dederunt; deinde autem, hoc idem multo potiori jure etiam quoad alios fieri non potuisse, qui in suo errore obstinati perstiterunt.

ferunt. Ethnicorum ergo Religionem fuiſse talem, ut ſenſibus indulgeret, voluptates foveret, & non ſolum non contineret gravia præcepta, ſed etiam multa turpia, & obſcœna permitteret, nemo non novit. Contra autem Religio Chriſtiana, quæ tota innititur præceptis, atque inſtitutis Chriſti Domini, cum pravis cupiditatibus bellum perpetuum agi vult, ſenſuum noxios appetitus reprimi jubet, præcipitque ut multa ſerventur, quæ gravia ſunt, & difficilia, utque ipſa quoque vita, ſi opus ſit, pro defenſione ejus in diſcrimen adducatur. Hinc vero eſt, ut duo interſe magis contraria eſse non poſſint, quam Religio Ethnicorum, atque Chriſtianorum. Ethnicis ergo, qui Religionem Chriſtianam amplectebantur, neceſse erat aliam omnino vivendi rationem inſtituere, omnibus inhoneſtis voluptatibus bellum indicere, multiſque legibus, atque præceptis, quæ ſenſui adverſantur, ſeſe ſubjicere. Res igitur iſta talis erat, in qua ſibi turpiter illudi pati non potuerint. Quandoquidem quidnam tandem gravius fingi, aut excogitari poteſt, in quo homines omnem ſuam curam ponant, ut de rei veritate convincantur? Anne præcipitanter poſſibile eſt; ut agant in tam gravi negotio, quod & præſentis, & futuræ vitæ ſtatum reſpicit? atqui multi Ethnicorum omnis generis, atque conditionis, Apoſtolis monentibus, & ſuadentibus, Chriſtianam Religionem amplexi ſunt, licet ſenſus contra obniterentur: ergo abſurdum eſt, ut ſe per Apoſtolos decipi paſſi ſint. Ne-

Neque etiam minus irrationabile eſt, ut Judæi, qui Chriſti cultores facti fuere, in re tanta ſibi turpiter illudi paſſi ſint. Quandoquidem eam Religionem deſerere debebant, quam miniſterio Moyſis a Domino acceperant, atque uti Meſſiam ſuſcipere hominem, qui velut ſeductor ab iiſdem habitus fuerat, quique cum eo, quem venturum eſſe ſibi finxerant, nullam ſimilitudinem præſeferebat. Huic ergo Divinos honores oportebat, ut tribuerent, ſicuti Dei Filium eum venerarentur, eumdemque a mortuis reſurrexiſſe, inque cœlos aſcendiſſe crederent. Inde vero conſequebatur, ut alii, ac antea erant, evadere deberent, ac omnino novam vivendi rationem inſtituere. Quapropter magis impoſſibile fuiſse quoad Judæos, quam quoad Ethnicos, ut in re tam gravi aliquis error obrepere potuerit, hac ratione concludo. Quamvis Ethnici ſuos Deos haberent; tamen neque legem ſibi revelatam ab iiſdem acceperant, neque opem eorum ſibi experti fuerant, neque miracula viderant, per quæ de Divina quadam, atque ſupra humanas vires poſita virtute, convicti remanerent: contra Judæi legem, quam ſervabant, a Deo ſibi revelatam eſſe certiſſime noverant, & ut in ejus obſervatione perſiſterent, qua flagellis, ſi inobedientes, qua inſignibus præclariſque miraculis, ſi fideles, ſæpius moniti fuerant: ergo ſi hac in re Ethnici decipi non potuerunt, multo magis quoad Judæos nullus deceptioni locus eſse potuit.

Ad

Ad Judæorum autem educationem, & institutionem si advertatur, longe graviora in iisdem, ac in Ethnicis occurrunt, propter quæ eos decipi non potuisse, unicuique manifeste perspectum erit. Quandoquidem patrias institutiones necesse tantum erat ut Ethnici condemnarent, suorum Deorum falsitatem detestarentur, seque nimis crasso errore delusos faterentur: at vero Judæi erubescere debebant, se majoresque suos adversus evidentem veritatem summa cum pertinacia pugnasse, contra Dei Filium impie crudeliterque egisse, atque eum immanioribus suppliciis antea excruciatum occidisse, quem summopere colere, & venerari debebant: ergo si Judæorum educationis institutionisque ratio habeatur, nihil minus fieri potuisse constat, quam ut Judæi ad Christianam fidem conversi ab Apostolis decepti fuerint: ergo impossibile fuit, ut Apostoli eos Ethnicos, ac Judæos deciperent, qui Christianæ Religioni nomen dederunt, quemadmodum nos priori loco demonstrare aggressi fuimus.

At vero non solum, si Ethnicorum, atque Judæorum ratio habeatur, nullus in hac re deceptioni locus esse potuit; sed etiam hoc idem manifestum apparet, si ad id advertatur, quod Apostoli præstiterunt: *Nam si ipsi* (inquit Eusebius Præfat. Evang. lib. 3. nu. 5.) *& seductores, & impostores erant, & præterea imperiti, omninoque vulgares, ut constat, quin etiam barbari, qui non plus, quam Syrorum lin-*

linguam nossent, quomodo in totum progressi sunt terrarum orbem? vel qua istud solertia excogitarunt, ausive sunt? quibus porro viribus id, quod ausi sunt, perfecerunt? Esto enim viros rusticos in terra propria versantes decipere, & vagari, nec otiose, aut frustra rem serere. At vero apud omnes nomen Jesu prædicare, admirabiliaque illius gesta, & in urbibus, & in agris docere; & alios quidem eorum imperium Romanum, ipsamque omnium urbium civitatem reginam invadere: alios Persarum regnum, alios Armeniorum, Parthorum alios nationem, item alios Scytharum, quosdam etiam ad ipsos orbis terræ venisse fines, Indorumque regionem penetrasse: alios porro trans Oceanum evasisse ad eas insulas, quæ Brittanicæ vocantur: hæc sane ego nunquam humana vi effecta putaverim, nedum conatu levium vulgariumque hominum, ac multo minus seductorum, præstigiisque utentium. Qui vero flagitiosum versutumque doctorem experti essent, & ejus exitum vitæ talem perspexissent, quibus tandem verbis assequerentur inter se de illo consentanea fingere? Siquidem uno ore omnes & leprosorum purgationes, & ejectiones dæmoniorum, & excitationes mortuorum, & cæcorum sanationes, & innumerabiles alias ægrotantium medelas, quas ille præstiterat, testificabantur. Postremumque omnium, primis sibi post mortem reditus illius in vitam sit visus. Hæc itaque neque facta, neque audita, inquam, suis temporibus, quomodo uno ore facta fuisse affirmare ausi essent, morte quo-

que

que ipsa comprobantes, quod dicerent? Nunquid olim congressi, & conspiratione ad idem sentiendum facta, fœdus inter se pepigerunt, quo fingerent, ementirenturque ea, quæ nusquam facta essent?

Rationem subinde exponit, qua inter se convenire potuerunt, atque postquam demonstravit hanc conventionem non fuisse possibilem, ita concludit: *Videntur ne tibi credibilia hæc, aut ulli verisimilia? ignobiles vulgaresque homines, postquam talia finxerint, atque inter se composuerint, Romanum imperium invasisse? aut humanam naturam, quæ vitæ amorem, ac studium, quasi quiddam proprium possidet, potuisse unquam ulla mercede voluntarium subire interitum, quemadmodum Salvatoris nostri Discipuli potuere? Quos sic quidem eo stuporis venisse credas, ut quum ab illo nihil admiratione dignum gestum inspexerint, ipsi tamen ex composito cuncta ejus generis confinxerint? deinde magis quibusdam de illo corrogatis, pro iis omne genus mortis subire parati, promptique fuerint? tu vero quid ais tandem adversus hæc? nempe illos neque opinatos fuisse, neque sperasse quidquam ob ejusmodi commendationem Jesu perpessuros. Quare tam intrepide ad prædicandum de illo provectos. At istud quonam pacto concedetur, illos non sperasse pro illo se omnia passuros? qui & apud Romanos, & apud Græcos, & apud Barbaros Deorum eversionem essent invecturi? At etiam historia, quæ de illis extat, aperte hoc habet; illos post*

præ-

interpolata ad nos pervenirent, quæ Sancti viri divinitus inspirati scripserunt, nullo modo existimari posse primo demonstrabimus: secundo ne per levissimam quidem conjecturam ex Scriptis Novi Testamenti colligi posse, quod ea supposita, aut interpolata fuerint: tertio revera per neminem illa supponi, aut depravari potuisse, ac postremo nullo unquam tempore supposita, aut depravata fuisse. Quoniam vero Deistæ eo tendunt, ut omnem Divinam Revelationem e medio tollant, de uno, aut altero testimonio Divinarum Scripturarum Novi Testamenti, quod nonnulli, num genuinum, & authenticum esset, licet præter omnem rationem, dubitarunt, sicuti etiam de aliquibus erroribus levissimis, qui occurrere potuerunt aut ignorantia amanuensium, aut incuria librariorum, nihil tamen de rei substantia, aut veritate detrahentibus, contra eosdem non pugnabimus. Nam eam doctrinæ summam, quæ spectat ad fidem, atque morum institutionem, & ad ea, quæ Christus, ejusque Apostoli gessisse, aut dixisse referuntur, in illis Sacris Litteris, quas modo habemus, neque suppositam, neque interpolatam esse, ad confutationem Deistarum satis est, ut demonstremus.

Ar-

Articulus I.

Num quispiam suspicari possit, Deum permisisse, ut perirent, vel ad nos interpolata pervenirent quae Sacri Auctores Novi Testamenti divinitus inspirati scripserunt.

P*ropositio*. Quae tum Evangelistae, tum Apostoli divinitus inspirati scripserunt, ea Deum permisisse, ut perirent, vel ad nos interpolata transmitterentur, ne levissime quidem suspicandi locus est.

Prob. prop. Nemini unquam vel apparenter probabile videri potest, Deum permisisse, ut falso, fictoque fundamento niteretur Christiana Religio, quam tum propter doctrinae sanctitatem, tum propter conformitatem, quam habet cum natura hominis, tum propter excellentiam finis, tum propter ea quae ad promulgationem ejus consequuta fuere, tum etiam demum propter singularia, atque praeclarissima miracula, & multiplices supernaturalesque praedictiones, quibus confirmata fuit, omnino Divinam esse dubitari non potest, sicuti hujus Partis tota quaest. 1. jam demonstravimus; sed Christiana Religio falso confictoque fundamento inniteretur, si Deus permisisset, ut perirent, vel ad nos interpolata transmitterentur, quae tum Evangelistae, tum Apostoli divinitus inspirati scripserunt: ergo. Prob. mi. Fides Christianorum non soli traditioni modo innititur,

tur; sed etiam iis libris, quos uti divinitus inspiratos, sicuti revera sunt, suscipiunt, & venerantur: ergo si ii libri, quos modo habemus, interpolati, atque confícti essent, Deus permisisset, ut Christiana Religio, de cujus Divinitate nullo modo dubitari potest, falso confíctoque fundamento inniteretur: ergo si ista re nihil magis Divinæ sapientiæ, & providentiæ contrarium est, nemo vel levissime suspicari potest, Deum permisisse ut perirent, vel ad nos interpolata transmitterentur, quæ tum Evangelistæ, tum Apostoli divinitus inspirati scripserunt.

Deinde ut homines perpetuo fallerentur in iis, in quibus non indulgere sibi, non quærere, quæ sua sunt, non ea consectari studerent, quæ expetuntur sensibus, atque voluptatem afferunt; sed quæ recta ratio suadet, quæ Dei sunt, atque Divini cultus, quæ ad Dei majorem honorem, & venerationem tendunt, ipsumque hominem Deo omnino subjiciunt, si Divinæ bonitati non contrariatur, nihil sane est, quod contrariari possit; sed semel ac Deum permisisse admittatur, ut iis, quæ Evangelistæ, & Apostoli divinitus inspirati scripserunt, alia substituta fuerint, quæ malitia hominum conficta essent, Divinam bonitatem hæc omnia passam fuisse dici deberet: ergo Sacros Libros Novi Testamenti aut periisse, aut ad nos interpolatos pervenisse, non patitur Divina bonitas, ut suspicemur. Minor manifesta est. Nam per eas Sacras Litteras, quas modo habemus,

quum

quum recte instituamur tum quoad Deum, tum quoad nosmetipsos, tum quoad alios, sicuti hujus part. quæ.1. art.1. §.1. jam evicimus, per easdem insinuatur, ut nobis non indulgeamus, neque quæramus, quæ nostra sunt, aut quæ a sensibus expetuntur, sed quæ ad Dei cultum, ejusque majorem gloriam, atque honorem spectant; ideoque si Divina bonitas passa fuisset corrumpi Sacras Litteras, aliasque fictitias substitui in locum earum; simul quoque permisisset, ut deciperemur in iis, in quibus nobis non indulgere, quærere, quæ nostra sunt, quæque expetuntur sensibus, atque voluptatem afferunt, sed quæ recta ratio suadet, Dei sunt, atque Divini cultus; hoc ergo si a Divina bonitate omnino abhorret, prorsus inepte quispiam suspicatus fuerit, Deum permisisse, ut perirent, vel ad nos interpolata transmitterentur, quæ tum Evangelistæ, tum Apostoli divinitus inspirati scripserunt.

Atque hæc quidem ad revincendos Deistas: nam Catholicis ea certissima demonstratio est non vitiatarum Scripturarum, quod infallibili Ecclesiæ auctoritate proponuntur, hoc est ab eodem Spiritu Sancto, quo afflante perscriptæ sunt.

ARTICULUS II.

Num scripta Novi Testamenti supposita, aut interpolata esse, ex iisdem aliquo modo quispiam suspicari possit.

DE eo argumenti genere nunc acturi sumus, quod intrinsecum appellatur, & ab ipsa re, de qua agitur, peti consuevit. Quare Divina scripta Novi Testamenti neque supposita, neque interpolata fuisse, facile evinci posse contendimns, si eorum, quæ in iisdem continentur, ratio habeatur.

Propositio. Si eorum, quæ in Scriptis Novi Testamenti continentur, ratio habeatur, nihil minus, quam ea supposita, aut interpolata fuisse, quispiam suspicari potest.

Prob. prop. Multa eorum, quæ in Novi Testamenti libris prædicta fuisse legimus, non solum primis temporibus Christianæ Religionis adimpleta sunt, sed & nunc quoque adimplentur, cujusmodi sunt ea, quæ pertinent ad dispersionem Judæorum, ad Ecclesiæ propagationem, atque durationem illius: ergo ut loco Divinorum librorum alii suppositi fuerint, fieri non potest. Prob. con. Solus Deus futura libera prævidere, atque certo prænoscere potest, uti jam demonstravimus: si ergo in iis libris, quos modo habemus, hæc, quæ de dispersione Judæorum, deque Ecclesiæ propagatione, & duratione futura erant, prænunciata

ciata legimus, qui eos conſcripſerunt, divinitus inſpiratos fuiſſe oportet: ergo ut ſuppoſititii ſint fieri non poteſt: quoad ea ergo, quæ in iiſdem prophetice prædicta fuiſſe leguntur, illos neque ſuppoſitos, neque interpolatos fuiſſe conſtat.

Deinde in libris Novi Teſtamenti, quos nunc habemus, ſumma doctrinæ ſanctitas continetur, ob quam de Divinitate illorum evidentiſſime conſtat: ergo hi libri neque ſuppoſiti, neque interpolati eſſe poſsunt. Prob. con. Confictio, atque mendacium cum ſumma veritate, & Divinitate doctrinæ repugnat ut conjugatur: ergo ſi in libris Novi Teſtamenti, quos modo habemus, ſumma doctrinæ ſanctitas continetur, ob quam de illorum Divinitate evidentiſſime conſtat, ii neque ſuppoſiti, neque interpolati eſse poſsunt: ergo etiam ex ſanctitate doctrinæ, quam libri Novi Teſtamenti ubique ſpirant, eos neque ſuppoſitos, neque interpolatos fuiſse conſtat.

Tandem quæ in Sacris Novi Teſtamenti libris geſta narrantur, plurimorum ſunt confirmata teſtimonio, atque etiam eorum, quorum maxime intereſse omni tempore debuit, num illa vera eſsent: cum aliis quoque multis connexa ſunt, quæ etiam aliunde perſpecta habemus: neque vero apud unam gentem contigerunt, quæ in iiſdem referuntur, ſed apud populos, atque nationes non ſolum ubique diſſipatas, ſed etiam quæ antea diverſis religionibus addictæ eſsent, & poſtmodum in Chriſtia-

nam

nam unanimiter consenserunt: ergo nihil magis absurdum, atque repugnans supponi potest, quam conficta fuisse, quæ in libris Novi Testam.nti gesta referuntur.

Articulus III.

Num libri Novi Testamenti per aliquem, aut aliquos suppositi, vel interpolati fuerint.

NUM libri Novi Testamenti per aliquem, aut aliquos suppositi, vel interpolati fuerint, res est, quæ num contigerit, vel non contigerit, ea potissimum ratione definienda est, qua alicujus facti quæstio terminari consuevit. Si ergo Libri Novi Testamenti aut interpolati, aut in locum eorumdem alii substituti fuere, ab aliquibus id factum fuisse oportet: hoc vero est, quod nunquam contigisse defendimus.

Propositio. Sacri libri Novi Testamenti ad nos sine mutatione, aut interpolatione pervenerunt, quia nemo illos interpolavit, nec loco eorum falsos substituit.

Quoniam vero Deistæ contra sentiunt, illud ab eis quærere posse jure optimo videmur, quinam ii fuerint, per quos Sacri libri Novi Testamenti aut interpolati, aut corrupti fuerint. Nam Sanctos libros, quos modo habemus, nihil mutationis aliquando subiisse, semper omnes pro certo habuerunt, atque totius

Ecclesiæ quaquaversum diffusæ consensione constat, in qua non solum omni tempore fuere multi, qui sanctitate, sed etiam plures, qui doctrinæ singularitate supra ceteros eminerent. Quapropter quum tantorum virorum semper continuatam auctoritatem contra se habeant, illud superest, ne omnino irrationabiliter agere videantur, ut saltem aliquibus conjecturis indicent eos, qui Novi Testamenti libros interpolarunt, aut corruperunt. Hoc autem quum nunquam præstiterint, nec aliquando præstare possint, quam impia, & inepta simul eorum agendi ratio sit, nemo non videt.

Prob. prop. Si libri Novi Testamenti per aliquem interpolati, aut depravati essent, vel Ethnicorum, vel Judæorum, vel Christianorum opera id contigisset; sed neque Ethnici., neque Judæi, neque Christiani hoc fecerunt: ergo Sacri libri Novi Testamenti sine ulla mutatione, aut interpolatione ad nos pervenerunt, quia nemo fuit, qui eos interpolaret, aut loco illorum falsos substitueret. Minor propositio quoad singula explicatur. Nulla alia profecto de caussa sacros codices Ethnici depravassent, nisi ut Christiana fides amplius non propagaretur, atque sensim in contemptum omnium deveniret: ergo ea delere debuissent, quæ ad doctrinæ sanctitatem pertinent, & interpolare, quæ Divinitatem illius demonstrant: ergo & sanctiora Evangelii præcepta tollere, & quæ Christi Divinitatem, atque ejus Apostolorum

Divi-

Divinam virtutem aperte manifeſtant, omnino delere debuiſſent; ſed nihil horum fecerunt, quum in iis libris, quos modo habemus, ſimul cum doctrinæ ſanctitate Chriſti Divina virtus expreſſa ſit, & Apoſtolorum ſupernaturalis agendi ratio manifeſtetur: ergo Ethnici neque depravarunt, neque interpolarunt ſacros libros.

Et re quidem vera quamvis hoc tentare voluiſſent, tamen quod volebant, nullo modo eis ſuccedere poterat. Quandoquidem pro illa fide, quæ in ſacris libris expreſsa continetur, quam multa ſunt; quæ Chriſtiani omni tempore pertulerunt? qua ergo fieri ratione potuit, ut ſacri libri, qui depoſitum fidei in ſe habebant, ab Ethnicis interpolari, aut depravari paterentur? Deinde quomodo poſſibile fuiſſet, ut quotquot ſacrorum codicum exemplaria exiſtebant, Ethnici in ſuam poteſtatem redigerent, ea depravarent, & corrumperent? Profecto ab initio Eccleſiæ ſacros codices multiplicatos fuiſſe, aut illatos in omnia loca, in quibus Religio Criſtiana colebatur, dubitari non poteſt.

Sicuti autem per Ethnicos libri Novi Teſtamenti corrupti, aut interpolati non fuerunt, ita neque etiam per Judæos. Quandoquidem hos ſacros codices corrumpere atque depravare nulla alia de cauſſa Judæi in animum inducere ſibi poterant, niſi ut Chriſtianam Religionem deprimerent, Judaicam vero commendarent, atque ſupra omnes alias extollerent: ergo id om-

ne tollere debuissent, per quod Christiana Religio deprimi, Judaica vero extolli poterat; sed hoc non fecerunt, quum in sacris codicibus & ea habeamus, per quæ commendatur Divinitas Christianæ Religionis, & ea quoque occurrant, quibus Judaica perfidia convincitur: ergo. Prob. mi. Miraculis plena sunt, quæ Christi ortum præcessisse, atque subsequuta fuisse in Evangelio legimus: ex eo quoque compertum habemus plura, atque insignia miracula Christum fecisse, quibus suam Divinitatem, Divinamque missionem apertissime confirmavit: quanta vero, & qualia sunt, quæ Apostolos divinitus operatos fuisse legimus? quomodo Christianam Religionem mirabiliter propagarint, qua ratione potestatibus, atque principibus invicto animo restiterint, quanta facilitate ab omni infirmitate male habentes curaverint, & mortuos resuscitaverint, demum qua doctrinæ morumque sanctitate ad instar Christi magistri sui percellentes fuerint, nonne in iis Novi Testamenti libris, quos modo habemus, apertum ac manifestum est? ea ergo in Novi Testamenti libris superesse, quibus Christiana Religio mirifice commendatur, nullus dubitandi locus reliquus est.

Quam autem Ethnici, quemadmodum jam observavimus in depravandis, atque corrumpendis sacris libris, si id tentare ausi essent, eamdem etiam Judæi insuperabilem difficultatem experti fuissent.

Re-

Reliquum ergo eſt, ut ſi aliquam ſacri libri corruptionem paſſi ſint: per Chriſtianos paſſi fuerint. Verum nihil minus contingere potuit, quam ut per Chriſtianos ſacri libri corrumperentur. Quandoquidem vel communi malitia hominum, vel aliquorum tantum ſacri libri corrupti fuiſsent; ſed neutrum factum fuit: ergo. Non prius: quia eſse non poteſt, ut gentes inter ſe longe diſſitæ, & diſperſæ ubique terrarum, genio differentes, atque moribus, ad eos libros corrumpendos conſpiraverint, quibus nihil ſanctius, & venerabilius habebant, quique ſuæ fidei, doctrinæ, legis, atque religionis fundamentum erant. Profecto in hujuſmodi re omnes homines inter ſe conſentientes nemo unquam vidit, aut videre aliquando poterit. Nam quum hominum ea conditio ſit, ut vel in rebus leviſſimi momenti invicem ſibi contradicant, præcipue ſi ſub cœlo diverſo nati, atque non eadem ratione educati fuerint, potiori jure nullo modo fieri potuit, ut in depravatione illorum librorum, quos uti Sacros, atque Divinos, a ſuis Majoribus cum ſumma veneratione receperant, unanimiter conſenſerint. Neque etiam alterum: nemo enim tam inſanus eſse poterat, quin ſuam fraudem ſtatim detegendam eſse videret, quum de iis libris ageretur, qui in omnium manibus verſabantur, quique in cœtibus Chriſtianorum publice legi conſueverant. Quamvis enim populus, & infimi de plebe homines

for-

fortasse tacuissent, anne etiam Sancti Ecclesiæ Præsules, qui gregi sibi commisso tanta cura advigilabant, id impune tulissent, & non potius aperta fronte contra clamassent? Profecto ut non solum quantum ad substantiam, sed etiam quoad dicendi modum in sacris litteris aliquid non immutaretur, Sancti Ecclesiæ Præsules semper solliciti fuere. Hinc quum quidam Triphillus coram multis Episcopis verba faciens pro vulgari voce, quæ in Evangelio erat, alteram, quæ elegantior esse videbatur, substituisset, Spiridion rei novitatem ferre non potuit, sed, quamvis immutatio levis momenti esset, eum tamen publice a se redarguendum esse duxit. Sozomenus *Hist. Eccl.* lib. 1. cap. 11. In quadam autem Ecclesia magnam contentionem extitisse, quia Episcopus illius ex Propheta Jona aliquid legerat contra quam erat *Omnium sensibus memoriæque inveteratum, ac tot ætatum successionibus decantatum*, tradit S. Augustinus epist. 71. num. 5., aliàs epist. 10. Unde etiam idem Sanctus Doctor, ne aliqua novitas, etiam accidentalis, quoad sacras litteras in sua Ecclesia introduceretur, diligentissime cavit.

Ex his omnibus est concludendum quod nullimode fieri potuit, Novi Testamenti Libros corruptos aliquando fuisse, cum neminem hujus fraudis auctorem inveniri posse abunde sit demonstratum.

Co-

COROLLARIUM.

Hæc pauca, quæ potius delibavimus, quam disseruimus, satis evidenter evincunt hæc tria: quod Divina Revelatio ad cognoscenda sublimiora Divinitatis Mysteria, ad quæ naturalis ratio nullo modo potest attingere, & ad perfectum Cultum Deo exhibendum fuerit hominibus non solum perutilis, sed etiam necessaria: quod extiterit hæc Divina Revelatio in Veteri Testamento, cum de ea indubia testimonia præseferant Sacræ ejusdem Testamenti Literæ, quas fuisse divinitus inspiratas Sanctitas illius Legis, Miracula, & Prophetiæ, ac etiam judicium infallibile Ecclesiæ Christianæ invicte demonstrant: & quod eadem Revelatio Divina plenius, & explicatius sese manifestaverit in novo Fœdere, prout nobis evidenter suadent ejus Doctrinæ sublimissima Sanctitas, luculentissima Miracula, & Prophetiæ exarata fideliter in Novi Testamenti Libris, de quorum veritate, & integritate infallibile testimonium perhibet Ecclesia Christiana, quam veram esse, ac proinde non nisi vera asserere posse, eadem Divina Sanctitas Christianæ Religionis, quam profitetur, Miracula & Prophetiæ, & plurima alia suæ evidentis credibilitatis argumenta nos dubitare non sinunt. Gratias agamus Deo immortali, & providentissimo, quia, si occultas divitias scientiæ, & omnipoten-

tentiæ ſuæ abſcondit ſuperbe ſapientibus ; eas dignatus eſt revelare parvulis , ſcilicet hominibus bonæ voluntatis , de ſe demiſsè ſentientibus , & in ſpiritu humilitatis unice inquirentibus eum , & ejus veritatem .

FINIS.

ROMÆ MDCCLXXI.

TYPIS GENEROSI SALOMONI

Præſidum Facultate .

APPENDIX
AD DISSERTATIONEM
DE RELIGIONE REVELATA.

Num Revelata Religio destruatur, semel ac admittatur, Sacras Litteras unumquemque per se interpretari posse.

SI in iis, quæ divinitus revelata sunt, quispiam ita erret, ut nullum Divinæ Revelationis judicem infallibilem esse, sed unumquemque eam per se interpretari posse arbitretur; tunc omnem auctoritatem Divinæ Revelationis prorsus tolli contendimus. Hoc vero est, quod in sequenti propositione contra Protestantes demonstrare, eorumque systema tale esse, evincere conabimur, ut per illud nulla auctoritas Divinæ Revelationis reliqua sit.

Propositio. Auctoritas Divinæ Revelationis omnino tollitur, semel ac unicuique Sacras litteras per se interpretari liceat.

 Prob.

Prob. propositio. Omnibus suo jure æqualiter uti licet: ergo si omnes æqualiter habent jus interpretandi quæ divinitus revelata sunt, eorum sese interpretes æquo jure facere poterunt: ergo prorsus actum erit de auctoritate Divinæ Revelationis. Primam consequentiam distincte demonstrabimus, alteram vero deinde cum ea necessario connexam esse evincemus.

Semel ac ergo aliquod jus est commune omnibus, nemo injuriam alteri facit, si eo utatur: immo si quispiam velit, ut eo alter non utatur, injuriam procul dubio illi facit. Quare si jus interpretandi Sacras Scripturas convenit omnibus, nemo unus alterum ab hoc jure exercendo excludere potest, neque propter majorem scientiam, quam se habere ipse putet, neque propter illustrationem Divini spiritus, quam sibi arroget. Nam, quamvis qui excluditur, præsumptuose agere non velit, suamque imperitiam ultro fateatur; illud tamen semper absque ulla audacia, & præsumptione reponere poterit, infallibile non esse judicium alterius utpote hominis, quovis tandem doctrinæ genere, atque eruditione instructus sit: errandi ergo periculo quum æque ipse, ac alius, obnoxius sit, suam potius, quam aliorum interpretationem se sequi velle, æquo jure contendet. Exquirere deinde poterit, num per se manifesta, aut obscura sint, quæ divinitus revelata sunt: si per se manifesta esse ei reponatur; tunc ea interpretandi munus sibi quoque arrogare poterit, quum ad ea cognoscenda, quæ manifesta

sunt,

ſunt , nihil amplius requiratur , quam lumen ipſum rationis , quo unuſquiſque præditus eſt : ſi autem obſcura eſſe dicantur ; immo tantam in ſe continere obſcuritatem , ut maxima difficultas in eorum interpretatione ſit ; tunc illud ſemper opponet , neminem ſibi confidere poſſe , ſe aſſequutum eſſe verum ſenſum Sacrarum Scripturarum , adeoque liberum unicuique eſſe , ut accipiat eo ſenſu , quo ipſe voluerit . Deinde hæc duo inter ſe pugnare ſemper urgebit ; hoc eſt , unumquemque Sacras litteras per ſe interpretari poſſe , & in earum interpretatione plures difficultates occurrere .

Quod vero attinet ad illuſtrationem Divini Spiritus , quiſnam erit , qui , ſententia Proteſtantium ſemel poſita , ſibi quoque eam arrogare non poſſit ? Profecto non rudis imperituſque de plebe homo , non muliercula , aut delira quævis anicula . Nam vel requiritur illuſtratio Divini Spiritus ad interpretationem Sacrarum Scripturarum , vel non requiritur : ſi requiri dicatur ; ex eo quod admittant Proteſtantes eſſe unumquemque interpretem Divinarum Scripturarum , dare quoque debent , unicuique hujuſmodi illuſtrationem præſto eſſe, quando Sacras litteras interpretari voluerit : ſi autem non requiritur : tunc non erit , cur quiſpiam propter illuſtrationem Divini Spiritus ſupra alterum ſeſe extollat , atque propter eam contendat , ſe , & non alterum Sacras litteras interpretari poſſe . Deinde ſi idiota imperituſque homo , atque etiam muliercula , contendant , ſe duci Di-

vino Spiritu in interpretatione Sacrarum litterarum, qua tandem ratione ab eo refelli poterit, qui contra ſentit? quomodo demonſtrabit, ſibi, & non illi Divinum Spiritum præſentem eſſe? quo argumento Divinitatem ſui ſpiritus, & falſitatem alterius evincet? Nimis ergo manifeſtum eſt, ſententia Proteſtantium ſemel poſita, jus interpretandi Sacras Scripturas nemini denegari poſſe.

Hoc autem ſemel poſito, de auctoritate Divinæ Revetationis omnino actum eſſe contendimus: quod quidem ſecundo loco a nobis demonſtrandum erat. Tunc enim nulla amplius reliqua eſt firmitas Divinæ Revelationis, quando ea pendet a maxima diverſitate opinionum, ſententiarum, & judiciorum, quæ eſſe poſſunt, atque revera ſunt inter homines; ſed auctoritas Divinæ Revelationis penderet a maxima diverſitate opinionum, ſententiarum, atque judiciorum, quæ eſſe poſſunt, & revera ſunt inter homines, ſi omnes legitimos illius interpretes eſſe ponatur: ergo ſemel conceſſa omnibus facultate interpretandi Sacram Scripturam, de auctoritate Divinæ Revelationis omnino actum erit. Major propoſitio conſtat. Sicuti enim opiniones, ſententiæ, & judicia hominum inter ſe diverſa, immo ſepe etiam contraria ſunt; ita etiam Divina Revelatio, quæ quoad ſui interpretationem penderet a diverſitate opinionum, ſententiarum, & judiciorum humanorum, & diverſa eſſe, & quandoque ſibi opponi deberet, ideoque Deus per Di-

Divinam Revelationem non manifestasset veritatem, sed quod in mentem hominum cadere potest. Ex hoc autem si auctoritas Divinæ Revelationis non omnino pervertatur, non video sane unde perverti possit. Minor quoque proposito manifesta est. Uti enim supra evicimus, omnes æqualiter habent jus interpretandi Sacras litteras: ergo quæ ab unoquoque interpretatio fiat, æquo jure facta erit: sed interpretatio, quæ æquo jure fit, rejici non potest: ergo admittenda erit: ergo ab interpretatione omnium hominum Divina Revelatio pendebit: ergo pendebit a maxima diversitate opinionum, sententiarum, & judiciorum, quæ sunt inter homines.

2. Nulla est cujusvis legis auctoritas, semel ac unusquisque, prout sibi videbitur, eam interpretari possit: ergo semel ac ponatur esse omnes interpretes Divinæ Revelationis, nulla ejus auctoritas reliqua erit. Ant. constat. Tunc enim non lex, sed diversum judicium, quod diversi homines de ea faciunt, auctoritatem habebit: unde lex aliquando obligabit, prout iste; non obligabit, prout ille censuerit: rem unam præcipiet juxta aliquorum; aliam vero juxta judicium aliorum: immo lex omnino servanda erit, si nonnulli; nullo autem modo servanda, si ceteri audiantur. Nullam ergo auctoritatem ipsa lex habebit. Si autem auctoritas cujusvis legis omnino corruit, semel ac omnes interpretes illius esse ponatur; idem quoque de auctoritate Divinæ Revelationis sen-

tiendum erit, si omnes interpretes illius sint.

3. Infallibilitati Dei revelantis innititur auctoritas Divinæ Revelationis; sed per hoc quod omnes sint interpretes Divinæ Revelationis, omnino tollitur hujusmodi infallibilitas: ergo oportet ut simul etiam tollatur auctoritas Divinæ Revelationis. Prob. mi. Per hoc quod omnes sint interpretes Divinæ Revelationis, unusquisque quo sensu eam accipiendam esse putaverit, ita accipere poterit, ideoque secundum varias opiniones, sententias, & Judicia diversorum hominum, modo res una in Divina Revelatione præcipietur, modo altera, modo nulla: ergo per hoc, quod omnes sint interpretes Divinæ Revelationis, omnino tollitur ea infallibilitas, a qua pendet auctoritas Divinæ Revelationis. Quod enim infallibile est, unum idemque semper esse debet, quia falsitati quidem non opponitur mutabilitas, veritati autem quam maxime contrariatur.

Et re quidem vera, ut in exemplo superius allato sistamus, tum sapientes, tum quoscumque de plebe homines leges a principe latas interpretandi explicandique jus habere ponamus. Quis inde certo futurum esse non videat, ut totius politiæ vis atque potestas omnino corruat, atque dilabatur? Profecto ipsa experientia compertum habemus, de iis quoque rebus inter se diffidere homines, quarum parvi, aut nihil ad illos refert, quæque sive hac, sive illa ratione sese habeant, neque utilitatem, neque damnum ipsi percipiunt. Hinc ve-

vero est; ut multo magis, sicuti ipsa quotidiana experientia confirmat, homines inter se divisi in iis sint, quæ ad propriam cujusque utilitatem referuntur. Quapropter ad ea servanda, quæ ab ipsa lege præcipiuntur, adstrictum se non esse, tunc unusquisque interpretabitur; & suo quidem jure interpretabitur, semel ac hujusmodi facultate præditus sit, quando observatio legis cedit in damnum ejus; contra vero alter legem obligare contendet, & ipse quoque suo jure contendet, quia in hypothesi ipse quoque legem interpretandi facultatem habet, quando observatio legis utilis ei fuerit. Immo quum per leges Principis subditis id faciendum imponatur, quod licet tendat ad commune bonum, de quo unusquisque participat, tamen ob eam quidpiam oneris ab unoquoque peculiari homine subeundum sit; inde est, ut unusquisque homo peculiaris utendo jure sibi concesso, sua interpretatione ab hujusmodi onere sese eximere, & a præsenti incommodo sese liberare poterit, atque ita fiet, ut quæcumque a Principe conditæ leges omnino eludantur. Hac autem licentia etiam quoad leges Divinas semel admissa, nonne eadem ratione & illæ quoque omnino perverti, ac destrui debent? Quid? nonne ipsæ quoque Divinæ leges quoddam onus homini imponunt? nonne & intellectum ejus sibi subjiciunt, & voluntatem sibi obligant? nonne multa nobis imperant, quæ impleri non possunt, nisi vim nobis inferamus? Si ergo unusquisque easdem interpretandi potestatem habet, non ali-

aliter ac in alio quovis genere legum contingeret, earumdem auctoritas tolletur omnino, quia nemo erit, qui in propriam utilitatem suo jure non utatur, atque ita fiet, ut nullum in iis præceptum reliquum sit, quod obligandi vim habeat. Semper ergo magis magisque constat, per eam potestatem interpretandi Sacras litteras, quam uniuscujusque propriam esse, Protestantes asserunt, omnino tolli, atque destrui Divinam auctoritatem Sacrarum litterarum.

Verum enim vero, Protestantes fortasse reponent: tunc tota hæc argumentatio concluderet, quando in Sacris litteris nihil certi constitutum esset, quod nemo non credere, firmissimeque tenere deberet; at quum quædam hujusmodi sint in Sacris litteris, non est, cur quispiam auctoritatem Sacrarum litterarum inde omnino tollendam, atque destruendam esse autumet, quia earumdem interpretandarum jus omnibus adjudicatur. Nam inter fidei articulos distingui oportet: quidam eorum *fundamentales* sunt, quidam vero *non fundamentales*: illos suscipere, admittere, firmissimeque tenere unusquisque debet; istos autem ut quispiam suscipiat, vel non suscipiat, nihil ad fidei substantiam refert. Sua ergo Sacris litteris auctoritas Divina consistit, quamvis omnes earum interpretes sint.

Ita ne vero? Profecto unum alteri magis contrarium esse non potest, quam est ipsi systemati Protestantium hæc distinctio articulorum fundamentalium, & non fundamentalium. Il-
lum

lum ergo ab eis primum quæro, undenam tandem habeant id juris, quo constituunt aliquos articulos esse fundamentales, alios non item. Profecto quum agatur de definienda re gravissima omnium, a qua uniuscujusque æterna salus pendet infallibiliter, necesse quoque est, ut certissima, atque infallibilis sit auctoritas, qua de ea definitur. At vero nullam infallibilem auctoritatem neque in quovis privato homine, neque in quovis Ecclesiastico cœtu, aut Ecclesiæ præside, Protestantes admittunt: ergo secundum eos nulla datur hujusmodi auctoritas certissima, atque infallibilis: ergo nullus est in Ecclesia secundum eos, qui de articulis fundamentalibus, & non fundamentalibus aliquid certo definire possit. Unde ergo ipsi id auctoritatis sibi vindicant, quæ peculiari, atque potissimo a se constituto principio, hoc est, nullum judicem infallibilem in Ecclesia esse, omnino adversatur? sibi ergo contradicunt, dum hanc de articulis fundamentalibus distinctionem invehunt.

Deinde juxta principia Protestantium nonne omnes æque habent facultatem interpretandi Sacram Scripturam? ergo omnes quoque de articulis fundamentalibus definire possunt: ergo non est, cur quispiam constituat, aliquos articulos esse fundamentales, & a nemine negari posse, si æternam salutem consequi velit: nam alius eadem auctoritate semper reponere poterit, se non putare eosdem articulos esse fundamentales. Sicuti vero aliquos articulos peculia-

res, quos quispiam fundamentales esse statuat, tales revera non esse alius eodem jure decernere possit, idem quoque de omnibus aliis fundamentalibus articulis sentiendum est, itaut nullus omnino sit, quem ut non fundamentalem quispiam habere non possit: ergo hujusmodi articuli ad illudendum aliis fundamentales dicuntur, quum nullum certum fundamentum revera habeant, nullamque certam auctoritatem, cui innitantur.

Nihil quoque magis absurdum dici potest, quam aliquos articulos esse fundamentales, aliquos non fundamentales eo sensu, quo a Protestantibus esse ponuntur. Fundamentales enim eos esse volunt, quibus nemo non assentiri debeat; non fundamentales autem, quibus etiam non assentiri quispiam potest. At vero si omnes articuli fidei eamdem Divinam auctoritatem habent, si omnes divinitus revelati sunt, si omnes Deum auctorem habent; aut prorsus omnes una eademque ratione obligare debent, aut nullus erit, qui certam obligationem inducat. Nam quæ ab ipso Deo hominibus revelata sunt, vel habent auctoritatem ab ipso Deo, vel non habent: ea non habere auctoritatem ab ipso Deo, neque etiam Protestantes dicere possunt, nisi Religioni Revelatæ aperte renuntiare velint: habent ergo, ipsis quoque consentientibus, auctoritatem ab ipso Deo revelante: itaque si omnia a Deo revelante auctoritatem hahabent, omnia uti divinitus nobis data ab ipso Deo æqualiter suscipi debent ab omnibus: ergo nihil

nihil absurdius confingi potest ea distinctione articulorum fundamentalium, & non fundamentalium, quam Protestantes ponunt; & si semel ea ponatur, totam Divinam auctoritatem Sacrarum Scripturarum omnino tolli, atque perverti necesse est. Nam semel ac Divina auctoritas Dei revelantis contemni possit, tota Divina Revelatio, uti supra dicebamus, omnem suam auctoritatem amittit, ac penitus destruitur, ut omnibus, qui ad rem tantisper attendant, manifesto patet.

Tandem Protestantium principium, illudque potissimum, est, Sacram Scripturam esse unicam regulam ejus fidei, quam Christiani profitentur. Si ergo Sacra Scriptura, quemadmodum ipsi statuunt, est unica regula fidei, quoniam hic agitur de iis, quæ omnes suscipere tenentur, itemque de aliis, quæ non oportet, ut omnes suscipiant, ex ipsis Divinis litteris suam de articulis fundamentalibus, & non fundamentalibus distinctionem eruere deberent: at vero id nunquam evincent; quin potius de suo errore certissime convincuntur ex iisdem Sacris litteris, uti constat ex illis testimoniis, quæ a nobis aliàs in confirmationem hujus nostræ propositionis allata fuere: fingunt ergo, aut se fingere suspicandi occasionem aliis præbent, quando se tueri statuunt, Sacram Scripturam unicam regulam esse debere fidei ipsorum Christianorum. Semper ergo evidentius constat, unum alteri magis contrarium esse non posse, quam sit ipsi systemati Prote-

ſtantium hæc diſtinctio articulorum fundamentalium, & non fundamentalium.

Inepte quidem fieret, Proteſtantes reponunt, hæc diſtinctio inter articulos fundamentales, & non fundamentales, ſi qui ſunt fundamentales, non haberent ſuas notas peculiares, ob quas a non fundamentalibus diſtinguerentur. Verum res ita ſe non habet: nam articuli fundamertales ſuas certas notas habent, propter quas a non fundamentalibus diſtinguuntur. Prima eſt Divina Revelatio: ſecunda eorum maxima utilitas, atque gravitas: tertia colligatio quarumdam veritatum cum ipſo fine Religionis, hoc eſt cum gloria Dei, & ſalute, atque ſanctificatione hominum. Deinde articuli fundamentales inde quoque cognoſcuntur, quia, qui ſunt tales, naturaliter obſequium ſibi vindicant propter ſui majeſtatem, ſublimitatem, atque antiquitatem. Conſenſus quoque generalis omnium Chriſtianorum in aliquem articulum, ita ut omnes eum ſemper tenuerint, & modo etiam teneant, fundamentalem eum eſſe dubitare non ſinit. Poſtremo, inquiunt, facile diſtingui poſſunt errores, qui ſunt damnabiles, & veritates fundamentales a non fundamentalibus. Nam error aut eſt omnino involuntarius, aut eſt voluntarius in ſua cauſſa: ſi cauſa erroris eſt aliquis defectus voluntarius, qui evitari poſſit, tunc error crimini verti debet, ideoque in ſe damnabilis eſt: verum ſi cauſſa erroris non ſit aliquis defectus voluntarius, ſi amo veritatem, eamque cum omni ſtu-

ſtudio aſſequi contendo, ſi carnem, & ſanguinem non conſulo in opinionibus eligendis, ſed Deum ipſum, & rationem ab eo mihi datam, ſi eam diſpoſitionem habeam, ut propter infirmitatem tantum humanæ naturæ in errore ſim; hujuſmodi error non eſt damnabilis.

Verum enim vero eadem ſemper difficultate ipſi Proteſtantes implicati manent: illud enim eis ſemper diſſolvendum eſt, qua tandem auctoritate hujuſmodi notas conſtituant, per quas articuli fundamentales a non fundamentalibus diſtinguantur. Nam ſecundum ſyſtema eorum eadem auctoritate, qua ipſi, alii quoque omnes præditi ſunt quoad exponenda, & explicanda omnia, quæ continentur in ſacris ſcripturis: ergo quo jure haſce notas ipſi conſtituunt, eodem ab aliis vel ex omnino tolli, vel aliæ ſuperaddi, aut omnes prorſus negari potuerunt. Quando enim plures eamdem auctoritatem habent, nemo eorum injuriam alteri facit, ſi ea utatur, nulluſque præſumere poteſt, ut quod ipſe ſtatuerit, ceteri quoque omnes, qui ſunt ejuſdem auctoritatis, amplectantur. Quotquot ergo Proteſtantes voluerint, hujuſmodi notas, quibus articuli fundamentales a non fundamentalibus diſtinguantur, conſtituere poterunt: tamen quum in ſyſtemate eorum nemo illis æquo jure non cotradicere non poſſit, ſemper incertum remanebit, qua ratione articuli fundamentales a non fundamentalibus diſtinguantur. Sed adhuc paucioribus quod modo volumus. Nemo unus eorum eſt, qui ſu-

ſupra alium hac de re auctoritatem hebeat: ergo nemo unus eorum eſt, cujus judicium hac de re alter ſuſcipere, & venerari debeat: ergo nemo unus eorum eſt, qui certas hac de re notas conſtituere valeat: ergo nullæ hujuſmodi notæ ab iiſdem certo conſtitui poſſunt, quum quot homines, tot etiam genera notarum eſſe poſſint; ſed ut unum ab altero diſtinguatur, per certas quaſdam peculiareſque notas diſtingui oportet: ergo ſemper verum eſt, inepte imperiteque, atque contra ipſum ſyſtema, quod tuentur, diſtingui a Proteſtantibus articulos in fundamentales, quia nullæ certæ notæ ab iiſdem aſſignari poſſunt, per quas illi ab iſtis diſtinguantur.

Jam ſi a quibuſdam certis peculiaribuſque notis eorum omnium, quæ inter ſe differunt, diſtinctio petenda eſt, multo magis peti debet etiam diſtinctio articulorum fundamentalium, & non fundamentalium. Nam ſi quæ unquam diſtinctio perſpicua, evidens, atque certa eſſe debet, ea ſane ſit oportet, qua articuli fundamentales a non fundamentalibus diſtinguuntur. Nam fundamentales, uti Proteſtantes dicunt, id continent, quod unuſquiſque ſuſcipere, & amplecti debet, ut æternam ſalutem aſſequatur; non fundamentales vero quod complectuntur, tam ſuſcipi, quam non ſuſcipi ab unoquoque poteſt. De æterna ergo ſalute conſequenda, vel amittenda agitur. Quapropter quum perſpicuitas, evidentia, & certitudo diſtinctionis, quæ inter aliqua duo intercedit, a per-

perſpicuitate, evidentia, & certitudine notarum omnino pendeat; conſequens inde fit, ut notæ, quibus articuli fundamentales a non fundamentalibus diſtinguuntur, perſpicuæ, evidentes, atque omnino certæ eſſe debeant. Tantum autem abeſt, ut notæ, quas Proteſtantes aſſignant, perſpicuæ, evidentes, atque omnino certæ ſint, quin potius, & evidenti falſitate eæ laborant, ut mox oſtenſuri ſumus, & nulla auctoritate conſtituuntur, ſicuti jam evicimus.

Ipſas ergo notas modo expendamus, videamuſque, num per eas ab omni difficultate Proteſtantes ſeſe expediant. Prima ergo nota articulorum fundamentalium eſt ipſa Divina Revelatio: ſecunda eſt eorumdem maxima utilitas, atque gravitas: tertia eſt colligatio quarumdam veritatum cum fine ipſius Religionis; hoc eſt cum gloria Dei, & ſanctificatione hominum. Belle ſane: iiſdem tamen difficultatibus ſemper magis magiſque Proteſtantes implicantur. Quid? vel de iis agitur, quæ divinitus revelata ſunt, aut agitur de aliis, quæ non ſunt divinitus revelata: ſi de iis agi dicant, quæ non ſunt revelata divinitus, ſed unius, aut alterius doctoris auctoritatem in ſe tantum habent; tunc amplius quæſtio non erit de articulis fidei, ſed de privatis opinionibus, quorum alias eſſe fundamentales, alias non item, nemo unquam ſomniavit. De iis ergo, quæ ſunt revelata divinitus, hic ſermonem eſſe, ſicuti revera faciunt, oportet, ut fateantur. Quapropter ita contra eos argumentor: per id, quod

quod omnino æqualiter est commune duobus ; unum ab altero distingui non potest ; sed quod divinitus revelati sint , omnes fidei articuli æqualiter habent ; alioquin fidei articuli non essent : ergo articuli fidei nullo modo per hoc inter se distingui possunt , quod divinitus revelati sint : ergo Divina Revelatio haberi non potest uti quædam nota peculiaris , per quam articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguantur .

Deinde quæ divinitus revelata sunt , ejusdem ponderis esse debent , quia omnia Divinæ auctoritati , atque infallibilitati æqualiter innituntur : ergo ex eo quod divinitus revelata sunt , non solum nullum inter ea discrimen esse potest , sed etiam tantum abest , per Divinam Revelationem articulos fundamentales distingui a non fundamentalibus , quin potius ex hac quoque parte manifeste constat , nihil magis ineptum , & futile ea distinctione esse , quam inter articulos fundamentales , & non fundamentales reponunt Protestantes .

Neque minus absurdum est , quod Protestantes affirmant de maxima utilitate , atque gravitate , quas uti certam notam haberi volunt , per quam articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguantur . Quandoquidem quisnam unquam definire poterit , in hoc articulo majorem utilitatem inesse , quam in alio ? quisnam constituere hunc articulum propter sui utilitatem ad fidei essentiam pertinere , non vero alium , quia æqualem utilitatem non habet ?

quis-

quiſnam determinare, licet plura eodem modo æque divinitus revelata ſint, & ſub eodem præcepto credenda proponantur, tamen aliqua eorum propter ſui utilitatem ad fidei eſſentiam pertinere, aliqua non item? Profecto nulla datur apud Proteſtantes hujuſmodi auctoritas, qua hac de re certo conſtituatur, quia unuſquiſque affirmandi jus æque habet, hunc articulum eſſe magnæ utilitatis, non vero illum; contra alter illum, & non alium hanc utilitatem in ſe continere; alius demum diverſa ratione opinari poterit, atque ita nunquam poſſibile erit, ut ab ipſa eorum utilitate articuli fundamentales a non fundamentalibus diſtinguantur.

Deinde in quo tandem conſiſtat hæc utilitas, quæ fundamentalium articulorum propria eſt, oportet ut determinent. An fortaſſe in eo reponenda eſt, quod fides illorum ducit ad vitam æternam? At qua tandem ratione non omnia æqualiter ad vitam æternam ducunt, ſi Chriſtus ſub comminatione æternæ damnationis ea omnia credenda eſſe præcepit, quæ divinitus revelata ſunt? At vero quænam major utilitas eſſe, aut excogitari poteſt, quam quæ in eo articulo ineſt, quo credimus, nos ſumere Chriſti corpus, & ſanguinem in Euchariſtiæ Sacramento, per quam ſumptionem, ſicuti Chriſtus teſtatus fuit, & ipſe in nobis manet, & nos in eo manemus? aut qua majori verborum claritate, & perſpicuitate res proponi poterat, quam quibus verbis propoſita a Chriſto eſt? Et tamen Proteſtantes Chriſti Corpus, & Sanguinem

nem realiter in Euchariſtia eſſe negant. Ergo dum utilitatem pro nota articulorum fundamentalium ſtatuunt; ſecum ipſis pugnant, & notas ipſi ſuas convellunt, & funditus deſtruunt.

Tandem rei cujuſvis utilitas ex fine potiſſimum æſtimanda eſt: quouſque ergo Proteſtantes non evicerint, quod ſane nunquam facient, unum non eſſe finem omnium articulorum divinitus revelatorum, de eorum maxima abſurditate opinionis ſemper conſtabit.

Quod autem de utilitate diximus, etiam de gravitate ob eamdem rationem affirmari poteſt. Hæc ergo quoque nota gravitatis inepte fruſtraque confingitur ad diſtinguendos articulos fundamentales a non fundamentalibus.

Hoc vero idem ſentiendum eſt de eo, quod ſuperaddunt de colligatione quarumdam veritatum cum ipſo fine Religionis; hoc eſt cum gloria Dei, & ſanctificatione hominum. Nam ab iiſdem primo quærimus, unde noverint, unde definiant, unde tandem conſtituant, has, & non illas veritates cum fine ipſo Religionis connexionem habere; iſtas, non vero alias ad gloriam Dei ſanctificationemque hominum conferre? Quia iſtæ ſunt revelatæ divinitus non vero illæ, id vero affirmare non poſſunt: nam æque omnes ſunt revelatæ divinitus. Unde ergo hoc noverunt? Immo qua auctoritate, vel quo jure id ſtabilire præſumunt? Nam (quum enim propter abſurditatem opinionis, quam tuentur, eodem ſemper defectu laborent, idem & nos quoque ſemper contra

tra eos jure urgemus) qua ipsi ratione dicunt , has veritates cum fine Religionis esse connexas, id ab alio juxta principia eorum æquali jure negari potest . Velle autem ut pro certa quadam nota , atque regula quoad illa , quæ sunt Religionis , & ad ipsam essentiam Relgionis spectant , id habeatur , quod si alter negaverit , æquo jure , suaque auctoritate usus negaverit , summæ imperitiæ ac levitatis , immo stultitiæ esse , nemo non videt .

Si deinde quispiam ab iis quærat , quænam illa sint , quæ cum majori Dei gloria , & sanctificatione animarum connexionem peculiarem habent , quid tandem reponere poterunt ? Quid vero facient , si eisdem quispiam objiciat , Sacramenta ab ipso Christo instituta , sicuti ex Sacra Scriptura evidenter constat , ab eis vel omnino e medio tolli , vel quæ in ipsis revera inest , efficaciam non admitti , quamvis nihil iisdem salubrius ad sanctificationem hominum , nihil aptius ad immensam Dei bonitatem , atque misericordiam erga nos manifestandum , ad ineffabilem , & omnino Divinum Christi amorem declarandum esse , aut excogitari possit ? Quid ad hæc ? Non me latet esse dicturos , quæ de necessitate , atque efficacia Sacramentorum circumferuntur, in Sacra Scriptura tradita non esse , & idcirco neque etiam ad illud genus veritatum pertinere posse , quod cum Dei majori gloria , & sanctificatione animarum peculiarem connexionem habent . Verum quascumque tandem , atque cujusvis generis veri-

tates

tates ipsi tales, hoc est divinitus traditas esse voluerint; tamen in systemate eorum semper alter, atque etiam quilibet de plebe homo, reponere poterit, neque etiam eas in Sacra Scriptura esse traditas. Tantum ergo abest, ut per hanc notam majoris connexionis cum fine Religionis articuli fundamentales a non fundamentalibus distingui possint, quin potius, ea non obstante, semper tum de articulis fundamentalibus, tum de tota Divina Revelatione semper dubitandum erit.

At enim, inquiunt, articuli fundamentales saltem inde cognoscuntur, quia propter sui majestatem, sublimitatem, atque antiquitatem, obsequium naturaliter sibi vindicant. Ita ne vero? Majestatem, sublimitatem, atque antiquitatem, fundamentales, ut vocant, articuli fidei unde nam tandem habent? Profecto nonnisi a Divina Revelatione habere, ne Protestantes quidem negare possunt. At vero a Divina Revelatione quum omnes articuli fidei æque procedant, omnes quoque majestatem, sublimitatem, atque antiquitatem ab ea æqualiter habere debent: ergo majestas sublimitas, atque antiquitas non est nota propria articulorum fundamentalium, sicuti requireretur, ut per eas isti a ceteris omnibus distinguerentur. Quid? (idem enim semper urgendum est:) anne per hoc, quod uni Protestantium plurimum majestatis, sublimitatis, atque antiquitatis inesse videatur in uno articulo, idem quoque ab omnibus sentiendum erit, & non potius juxta prin-

principia eorum, unusquisque suo judicio stare poterit, quum eadem sit in singulis Sacras Scripturas interpretandi potestas? Quum unus ergo in aliquo articulo majestatem, sublimitatem, atque antiquitatem inesse; contra alter non in eodem, sed in alio articulo hæc omnia contineri, æquo jure in systemate Protestantium existimare possit, atque ita penes omnes sit eadem arbitrii potestas: inde sequitur, ut ex hoc quoque capite nulla certa nota articulorum fundamentalium determinari possit.

Quicumque autem sint articuli fidei, Protestantibus nunquam dabimus, quod ii fidei obsequium sibi naturaliter pariant. Nam *fides*, ut ait Apostolus *Hebræorum* 11. v.1., est *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. „ Per hoc enim (ita apposite ad rem nostram S. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 1.), quod „ dicitur *argumentum* distinguitur fides ab opinione, suspicione, & dubitatione, per quæ „ non est prima adhæsio intellectus firma ad aliquid. Per hoc autem quod dicitur: *non apparentium*, distinguitur fides a scientia, & „ intellectu, per quæ aliquid fit apparens. Per „ hoc autem quod dicitur: *substantia sperandarum rerum*, distinguitur virtus fidei a fide „ communiter sumpta, quæ non ordinatur ad „ beatitudinem speratam „. Ex hisce vero omnibus illud constat, nihil absurdius dici posse, quam articulos fidei naturaliter obsequium sibi parere, quasi naturaliter eadem ratione, qua alicui veritati ex suis principiis vel naturaliter, vel

vel per ratiocinium deductæ, etiam fidei articulis assentiremur.

Saltem ergo erit certa nota articulorum fundamentalium consensus generalis omnium Christianorum. Minime vero gentium. Articuli fundamentales pertinent ad essentiam fidei, uti ipsi Protestantes tradunt: ergo sine fide eorum nemo vere fidelis esse potest: ergo unusquisque eos nosse, & credere debet, ut sit revera fidelis ergo unicuique, ut sit revera fidelis, ea ratio perspecta esse debet, qua articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguuntur. Quotusquisque vero est, qui videre possit, num fides aliquorum articulorum apud omnes Christianos generalem consensionem obtinuerit? qui vero ad id pertingent, quantum laboris prius insumere debent? quantum impendere temporis? quare & plerique in eorum ignoratione versabuntur, quæ pertinent ad essentiam fidei, & valde pauci post longum tempus diuturnosque labores tandem assequentur, quæ ad fidei essentiam pertinent.

At vero hac quoque in re Protestantes pro suo more sibi contradicunt: nam & aliquod in Ecclesia judicium certum, atque infallibile esse volunt, per quod unusquisque dirigatur in iis, quæ ad fidei essentiam pertinent; & nullum hujusmodi judicium esse statuunt. Volunt quidem certum, & infallibile judicium in Ecclesia esse, quia propter generalem consensionem omnium Christianorum in aliquem articulum fidei, illum articulum fundamentalem esse, & ad fidei essentiam pertinere decernunt. Nullum autem hujusmo-

jusmodi judicium esse volunt, tum quia Sacrarum traditionum nullam rationem habendam esse effutiunt, tum quia unumquemque, uti jam sæpe observavimus, habere facultatem interpretandi Sacram Scripturam, tuentur, neminemque propterea obligatum esse sese accommodare interpretationi, & judicio aliorum quicumque tandem, cujusvis numeri, atque conditionis ii sint. Quocumque ergo Protestantes sese vertant, ut inveniant, unde notas articulorum fundamentalium constituant, in graves scopulos semper impingunt.

Tandem expendamus quod ultimo loco tradunt ad discernendas veritates fundamentales a non fundamentalibus. Ajunt ergo aliquem errorem non esse in eo damnabilem (& idcirco veritatem oppositam haberi non debere uti fundamentalem) qui amat veritatem, de ea diligenter inquirit, qui in eligendis opinionibus non consulit carnem, aut sanguinem, sed Deum ipsum, atque rationem. Aliquam fortasse speciem veri hæc in se habere, licet imperito de plebe homini videri possit; revera tamen in se talia sunt, ut iisdem nihil absurdius confingi valeat. Semper enim contra Protestantes, uti supra fecimus, illud urgere possumus, ex hoc futurum esse, ut & hominum maxima pars ignoret, quinam articuli sint fundamentales, atque ad fidei essentiam spectant, & si qui ad eos cognoscendos pervenient, nonnisi post longum laborem, diuturnum tempus, assiduamque diligentiam perveniant. Quandoquidem nonne maxima

xima multitudo vel propter incapacitatem, vel propter certi cuiſpiam muneris occupationes in hujuſmodi res non ſolum diligentius non intendet, ſed ne leviter quidem inquiret? nonne qui id facere aggrediuntur, multum laboris temporis, atque diligentiæ in hujuſmodi examine inſumant oportet? quinam ergo ſint articuli fundamentales, & valde pauci cognoſcent, & qui cognoſcent, nonniſi poſt longum laborem, diuturnum tempus, aſſiduamque diligentiam cognoſcent. Bella ſane fides hæc eſt, & eorum ingenio digna, qui Eccleſiam ſe reformare velle audacter effutiunt! Verum preſſius jam contra eoſdem agamus.

Illud ergo quærimus, qua ratione articuli fundamentales dici debeant, an relate ad fidem, an vero relate ad ipſos credentes. Profecto nemo unquam dixerit, articulos fundamentales dici tales relate ad credentes, & revera ne ipſi quidem Proteſtantes dicunt, quum aſſerant articulos fundamentales pertinere ad eſſentiam fidei. Inde enim conſequeretur, talem diverſitatem in articulis fundamentalibus admittendam eſse, qualis eſt in ipſis credentibus habita ratione eorum omnium, propter quæ unuſquiſque diverſo modo ab aliis ſeſe habet; ſicque nulli articuli eſsent amplius fundamentales, & ad fidei eſsentiam pertinerent. Nam ad fidei eſsentiam quomodo pertinebunt, ſi quot homines, tot diverſi articuli fundamentales eſse poterunt, nulluſque erit, qui ab uno fundamentalis, ab altero autem non fundamentalis haberi non poſ-

ſit?

fit? Illud quoque accedit, aliquam veritatem dici fundamentalem, non quia ab uno, vel altero ut talis habeatur, sed quia in se spectata est fundamentum ceterarum. Dicendum ergo est articulos dici fundamentales relate ad fidem, & quidem etiam secundum principia Protestantium. At vero semel ac dicatur, aliquem errorem non esse damnabilem, ideoque oppositam veritatem non esse fundamentalem, quia quispiam fuit de inquirenda veritate sollicitus, & debitam diligentiam adhibuit; contra vero alterum errorem esse damnabilem, ideoque oppositam veritatem esse fundamentalem, quia quispiam non fuit de inquirenda veritate sollicitus, & debitam diligentiam non adhibuit; veritates dicuntur fundamentales relate ad credentes, non vero ad ipsam fidem: ergo dum Protestantes ad istud medium confugiunt, & pervertunt notionem; quam ipsi quoque tradunt, veritatum fundamentalium, & ipsam Revelatam Religionem omnino de medio tollunt. De priori constat ex demonstratis; alterum vero mox confirmaturi sumus: & hoc sane est, ut nemo non videt, quod evincere potissimum constituimus, licet ad præcludenda omnia effugia Protestantium, ab eo nos parumper digressi fuisse videamur.

Hoc ergo semel posito, quod aliquis in errore damnabili non versetur hoc ipso quod veritatem diligenter inquisierit, rationemque consuluerit, prout a se faciendum esse putabat, contendo, Deistam etiam suam caussam apud

Protestantes facile obtinere posse, immo debere. Quid? Ea ratione, Deista dicere potest, qua a me faciendum esse putavi, de ipsa Divina Revelatione, data opera, & diligenter inquisivi; post longum tamen examen tanta, tamque multa esse perspexi, propter quæ nullam a Deo Revelationem aliquando hominibus factam esse persuasum mihi fuit, ut in hac ego opinione citra meam culpam persistendum esse ducam. Nam, uti vos dicitis, semel ac quispiam fuerit de veritate sollicitus, inque eam inquisierit, prout a se faciendum esse putabat, non consuluerit carnem, & sanguinem, sed ipsam rationem, & Deum; si in aliquo erret, citra sui damnationem errat. Non est ergo, cur me condemnetis, quum hæc omnia præstiterim, & tamen in mea opinione persistendum a me esse videam. Sicut itaque vos damnari non vultis; ita & ego quoque, vobis ipsis auctoribus, damnari non debeo. Deinde (ita Deista ulterius urgere potest) nullum certum, & infallibile judicium secundum vos habetur, quo cognoscatur, num hæc, vel illa sint revelata divinitus; immo num aliquando Deus nonnulla revelaverit hominibus, tam ergo quoad revelata, quam quoad ipsam Revelationem in ancipiti dubitatione versamur: quum itaque, adhibito diligenti examine, quod per me poterat, tum de ipsis revelatis, tum de ipsa Divina Revelatione, si admittere nolitis, quod contra utrumque firmissimam persuasionem habeam, saltem quod dubius adhuc, atque anceps hæream negare

re non poteritis, ideoque cur tandem errorem meum damnabilem esse constituitis?

Neque Protestantes Deistas inde refellere possunt, quia Revelatio suæ divinitatis argumenta manifestissima in se habet, quæ ignorari a nemine possunt, si non carnem, & sanguinem, sed rectam rationem consuluerit. Quamvis enim de argumentis Divinæ Revelationis evidentissime constet, manifestumque etiam æque sit, integram servatam esse eam Divinam Revelationem, quæ a Deo hominibus semel facta fuit, quemadmodum quoad Revelationem Veteris Testamenti in II. Parte Dissert. de Relig. Revelata, quoad Revelationem autem Novi Testamenti in 3. Parte evidenter evicimus; tamen semel posito, quod nullus errori damnabili sit locus, semel ac quispiam, uti dicunt Protestantes, in veritatem diligenter inquisierit, & non carnem, atque sanguinem, sed rationem, & Deum ipsum consuluerit, semper Deistam suam caussam apud Protestantes tueri posse contendo. Nam evidentissima quidem sunt argumenta Divinæ Revelationis, eaque non perspicere nemo potest, si rectam rationem consuluerit, atque etiam Divinam Revelationem semel factam usque modo servatam esse, certo constat: verum enim vero secundum ipsa principia Protestantium id semper habebunt Deistæ, quo adversus eos se tueantur. Nam quo jure Protestans affirmat, se in veritatem, qua par est ratione, inquisivisse, & non consuluisse carnem, & sanguinem, sed Deum, &

 ipsam

ipsam rationem ab eo sibi datam, eodem jure quoque Deista rem eamdem de se affirmabit: si ergo Protestans propter hoc non versatur in errore damnabili, ne se quidem versari ob eamdem rationem semper Deista reponere poterit.

Illud ergo Protestantibus superesset, ne eamdem sui, & Deistarum caussam esse fateri cogerentur, ut Deistas accusarent, quod non omnem, quam debebant, quoad rem istam diligentiam adhibuerint, neque, sicuti requirebatur, fuerint de veritate solliciti. At num jure huc sese recipere possint, modo videamus. Quod ergo Deista ea qua par est ratione quoad rem istam fuerit de veritate sollicitus, & in eam dum inquireret, non consuluerit carnem, & sanguinem, sed Deum ipsum, atque rationem, vel ab ipsius Deistæ judicio pendet, vel a judicio aliorum: si pendeat a judicio ipsius Deistæ; semel ac iste affirmet, quoad rem istam adhibuisse se omnem diligentiam, quam debebat, ei fides adhibenda erit, & idcirco secundum principia Protestantium putandum hujusmodi Deistam in errore damnabili non esse: ut ergo Protestans contra Deistam urgere possit, quoad rem istam non omnem, quam debebat, ab eo diligentiam adhibitam esse, hoc judicium non ad ipsum Deistam, sed ad alios spectet, necesse est. At rem istam pendere a judicio aliorum, Protestantes contendere non possunt: 1. Quia secundum principia, quæ tuentur, nullus homo, immo nullus cœtus quorumcumque hominum est judex infallibilis eorum, quæ ad fidem spe-

ſpectant, & idcirco unuſquiſque æque ſuum, ac aliorum judicium ſequi poteſt, quum utrumque æque fallibile ſit. 2. Quia ſicuti Proteſtantes in ſuſpicionem Deiſtas vocare poſſunt, quod non omnem diligentiam adhibuerint, ideoque errorem eorum damnabilem eſse; ita quoque ipſi aliis ſuſpecti eſse posſunt, & revera ſunt; immo non ſuſpecti, ſed convicti de eodem defectu. 3. Quum quæ unus ſuo ingenio, induſtria, atque diligentia poſſit, alter plerumque ignoret; inde quoque eſt, ut judicium rei iſtius, in qua de ea diligentia agitur, quæ in inquirenda veritate adhibita fuerit, vel non fuerit, ad judicium alterius tunc potiſſimum ſpectare non poſſit, quando quæſtio de iis eſt, quæ lumine rationis abſque ullis doctrinæ præceptis cognoſcuntur. Quare num Deiſta in inquirenda veritate debitam diligentiam adhibuerit, vel non adhibuerit, Proteſtantes nullo modo judices eſſe posſunt; immo hoc ſibi judicium ſecundum ipſa principia, quæ ſequuntur, ſibi tribuere non debent. Semel ac ergo Deiſta affirmet, debitam in inquirenda veritate diligentiam ſeſe adhibuiſse, conſuluiſseque rationem, non vero carnem, & ſanguinem, ejus errorem damnabilem non eſse, Proteſtantes concedant oportet. Hoc autem ſemel dato, omnem Divinam Revelaiionem e medio tolli, quis non videat?

Ultimo tandem ex iis, quæ in Wooliſoni cauſsa contigerunt, demonſtrandum aggredimur, omnem Divinam Revelationem e medio tolli, ſemel ac principia Proteſtantium vera eſſe

ſe ponantur. Woolſtonum ergo, quamvis impiiſſimum omnium hominum, qui extiterunt, ſtatuto tamen præcipuo Proteſtantium principio nunc defendendum ſuſcipimus, atque injuſte damnatum fuiſse defendimus. Woolſtonus itaque in Apologia, quam in ſui defenſionem ſcripſit, antequam damnaretur, contra Smalbrokium Epiſcopum Londinenſem, graviter conqueſtus fuit, ſe omnino immerito ab eo traductum eſse uti blaſphematorem, incredulum, & apoſtatam, & contra eam libertatem peccatum eſse, quæ ſecundum regni leges unicuique permittitur: repoſuit quoque id diſcriminis inter ſe cererosſque Chriſtianos intereſse, quod ipſe in Chriſtum crederet ſecundum ſenſum ſpiritualem, & allegoricum, alii Chriſtiani ſecundum litteralem: addidit etiam ſe magis blaſphemum non eſse, quia ſenſum litteralem rejiceret, quam alii forent, ſi allegoricum non admitterent: tandem concluſit, tolerantiam univerſalem quoad ea, quæ ſunt Religionis, ſeſe conſtituere voluiſse. Hæc Woolſtonus in ſuæ cauſsæ defenſionem. Fuit ergo ipſe Woolſtonus, uti inquiebam, revera blaſphemus, incredulus & apoſtata; verum enim vero, ſemel poſitis principiis Proteſtantium, hoc eſt nullum eſſe Sacræ Scripturæ judicem infallibilem, & unumquemque per ſe habere ſpiritum interpretandi Sacram Scripturam, eamque prout ipſe putaverit, interpretari poſse, neque ut blaſphematorem, neque ut incredulum, neque ut apoſtatam habendum fuiſse, hoc vero eſt, quod

modo

modo contendo. Et primo quidem illud expendamus, num ad libertatem regni in suæ causæ defensionem Woolſtonus æquo jure recurrere potuerit, recteque recurrerit. Æquo ego jure eum juxta Proteſtantium principia ad eam recurrere potuiſse contendo, ut reipſa recurrit. Hoc autem ab unoquoque perſpici facile poterit, ſi advertatur, quid Smalbrokius Woolſtono ſupradicta ſibi objicienti repoſuerit „. Magnum, *repoſuit*, intercedere diſcrimen inter „ moderatam libertatem, & effrænem in re ſacra licentiam, quarum illam tolerent leges, „ hanc, quoniam ad evertenda ſocietatis fundamenta tendit, prohibeant „. Verum ipſius Woolſtoni difficultati inde ſatisfactum non eſſe, quis non videat? Nam 1. Woolſtonus ſemper quærere poterat, quid intercedat inter moderatam libertatem, & effrænem licentiam? 2. quinam ſint limites hujuſce libertatis, extra quos nemo progredi poſset? 3. cujuſnam auctoritate ii conſtituti eſsent? 4. an ſecundum regni leges eos ſequi ipſe deberet, ſemel ac conſtituti eſsent? 5. demum anne ſui ceterorumque omnium ſecundum regni leges una, atque eadem conditio eſse deberet? Quid ad hæc Smalbrokius? Omnia profecto contra ipſum faciunt. Quandoquidem ſemel ac interpretandi Sacram Scripturam unuſquiſque facultatem revera habeat, ea ſi utatur, prout ipſe putaverit, nemini injuriam facit, atque ſuo jure utitur; atqui etiam conſentiente Smalbrokio ſecundum principia ſuæ ſectæ, unuſquiſque hujuſ-

modi auctoritatem habet, eaque pro suo jure uti potest, prout ipse voluerit: ergo quum Woolstonus ea facultate, quam secundum principia suæ sectæ revera habebat, usus fuerit, prout ipse putavit, suo jure usus fuit, & nemini injuriam fecit, ergo Woolstonus affirmare poterat, inepte a suis adversariis appellari ad illud discrimen, quod inter moderatam libertatem, & effrænem licentiam intercedit.

Et re quidem vera quando duo jure sibi concesso utuntur, prout patitur ipsum jus, falsum est, uuum eorum uti moderata libertate, alterum vero effrænis licentiæ reum esse; sed Woolstonus, non secus ac omnes Protestantes, habebat potestatem interpretandi Sacram Scripturam, propter quam potestatem, cujusvis alterius, aut quorumcumque etiam judicii, utpote fallibilis, nulla habita ratione, easdem eo sensu accipere poterat, quo secundum spiritum sibi proprium accipienda esse putabat: ergo dum contendebat Woolstonus „ Qnod in littera de „ miraculis Christi neque sensus, neque veri- „ tas contineatur, sed quod ista omnia typica „ sint, futurorum figuræ, signa, & emblema- „ ta „ suo jure, æque ac omnes Protestantes utebatur, prout ipsum jus ferebat; ergo si quando duo eodem jure sibi dato æqua ratione utuntur, prout patitur ipsum jus, unum eorum moderata libertate uti, alterum autem effrænis licentiæ reum esse, dici non potest; etiam Woolstonus effrænis licentiæ accusari non poterat: ergo Smalbrokius uti talem eum injuste traduxit.

Quan-

Quando autem unus ab alio accusatur, quod sibi concessæ facultatis limites excesserit, qui accusatur, a suo accusatore æquo jure exigere potest, ut constituat sibi eos limites, intra quos se continere par erat: atqui Smalbrokius nullos hujusmodi limites constituit, neque etiam constituere poterat, quia, ut modo dicebamus, Woolstonus suo jure, æque ac alii Protestantes, utebatur, prout ipsum jus ferebat: ergo semper verum est, Woolstonum recte conquestum esse de sibi præscriptis limitibus a suo adversario, nihilque istum habuisse, quod contra reponere potuerit.

Quia vero judicium certum, & infallibile requiritur, quando constituitur de iis, quæ ad fidei essentiam spectant, & ejusmodi sunt, ut si quis ea non teneat, in errore damnabili sit; inde quoque est, ut Woolstonus contra eos appellare potuerit, quorum auctoritate quoad rem istam certos sibi limites determinatos esse prætendebatur. Quandoquidem suum æque judicium, ac ceterorum omnium falli posse, concludere poterat, quia cujusvis hominis, immo quorumcumque hominum ad res fidei definiendas congregatorum judicium secundum principia Protestantium neque certum, neque infallibile est, & idcirco non esse, cur cum tanto supercilio sui adversarii limites sibi præfigere contenderent, extra quos ipse progredi non posset. Et re quidem vera certum esse non potest, errorem aliquem damnabilem esse, si certum non sit illud judicium, quo errorem damnabilem esse de-

decernitur: semel ac ergo secundum principia Protestantium constet, nullius judicium certum esse, æquo jure Woolstonus contra judicium suorum adversariorum appellare poterat.

Ex hisce vero omnibus illud quoque constat, quodcumque tandem contra Woolstonum judicium a Protestantibus latum fuerit, rideri, & contemni, & quidem secundum regni leges, ab eo potuisse. Nam si una eademque facultas quoad rem eamdem omnibus æque tribuatur, quispiam ridere alterum, & contemnere potest si hujusmodi facultate is alter alteri antistare contendat; atqui secundum regni leges una, atque eadem quoad ea, quæ fidei sunt, omnibus est concessa libertas, aliundeque secundum principia Protestantium nullius judicium infallibile est, & unusquisque Sacram Scripturam interpretandi eamdem facultatem habet: ergo secundum regni leges Woolstonus suorum adversariorum judicium ridere poterat. Quid? anne etiam non clamare, vim ab adversariis sibi inferri contra ipsius regni leges? Profecto conscientiæ libertas secundum regni leges omnibus eadem ratione concessa erat: quousque hæc conscientiæ libertas pertingere poterat, nullibi definitum erat secundum regni leges, nullumque certum, & infallibile judicium secundum principia Protestantium reperiri poterat, per quod res ista definiretur: ergo Woolstonus contra suos adversarios vim sibi inferri etiam cum aperto contemptu legum ipsius regni semper clamare poterat. Quare æquo jure Woolstonus conquestus fuit, se mi-

immerito traductum a Smalbrokio uti blasphematorem, incredulum, & apostatam, eumque recte accusavit esse violatorem ejus libertatis, quæ secundum leges regni omnibus concedebatur.

Quæ autem Woolstonus reposuit de fide, quam in Christum se habere profitebatur secundum sensum Spiritualem, & allegoricum, quum alii christiani haberent secundum sensum litteralem, caussam illius apud Protestantes æque juvant. A Protestantibus enim ego quæro, unde nam tandem, vel cujusnam auctoritate constitui debeat, quænam litterali, quænam metaphorico sensu accipienda sint? Profecto, si sibi contradicere non volunt, eo privato spiritu, quem unusquisque habet, eaque privata auctoritate, quæ est in omnibus, rem istam decernendam esse, necessitate systematis concedere debent. Quo ergo ipsi privato spiritu, atque privata auctoritate censent, litterali sensu accipienda ea esse, quæ Woolstonus metaphorico accipi debere putabat; eodem modo Woolstonus metaphorico sensu accipienda esse existimavit, quæ ipsi litterali accipi debere arbitrabantur. Si ergo quo ipsi jure, & auctoritate pugnant pro sensu litterali, eodem quoque jure, eademque auctoritate pro metaphorico Woolstonus pugnabat, nonne præter omnes justitiæ leges Woolstonus damnatus fuit, quia Christi miracula metaphorice accipienda esse tuebatur?

Ac Woolstoni quidem caussa contra Pro-

testantes inde etiam defendi potest, quia eadem libertate, qua Woolstonus usus fuit, ipsi quoque utuntur. Nonne enim si de reali præsentia corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ contra eōs agatur, & evidentissima Sacræ Scripturæ testimonia eis afferantur, ob quæ de hujusmodi reali presentia nullus dubitandi locus esse potest, ut sunt illa: *Hoc est Corpus meum*: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: *Qui manducat meam carnem &c.* aliaque multa hisce similia, nonne, inquam, reponunt, metaphorice accipienda ea esse, non autem litterali sensu? Ita sane. Qua ergo ipsi auctoritate contra communem fidem omnium temporum, omniumque sæculorum, hæc testimonia sensu metaphorico accipienda esse statuunt, eadem Woolstonus affirmavit, metaphorice accipienda esse alia quoque omnia, quæ spectant ad miracula Christi. Quamvis ergo hac una tantum in re Protestantes errarent, metaphorice accipi volentes, quod litterali sensu accipiendum est, semper tamen Woolstonus absolvi deberet: nam quo ipsi jure ad sensum metaphoricum recurrere potuisse arbitrantur, eodem quoque Woolstonus metaphorice accipi debere contendet, quæ ad Christi miracula spectant.

Si vero dicant, ideo a se metaphorice accipi, quæ de Christi corpore, & sanguine in Eucharistia existentibus in Sacra Scriptura leguntur, ne sit prodigiis inusitatis locus, ne lex naturæ pervertatur, ne essentia rerum pertur-

be-

betur; & sibi contradicunt, & tantum abest, ut se adversus Woolstonum defendant, quin potius ipsi Woolstono dant, unde se adversus eos tueatur. Sibi, inquam, contradicunt: rogati enim qua ratione dispositi interius sint quoad ea mysteria, quæ ipsa ratio assequi non potest, sine dubitatione respondent: se sacrificare Deo, qui est prima veritas, omnes oppsitiones, quæ ab ipsa ratione fiant, Divinamque Revelationem habere loco supremæ rationis. Subjectam ergo esse volunt rationem ipsi Revelationi, & non subjectam, sacrificatas ei esse volunt omnes oppositiones, quas ratio proponat, & non sacrificatas. Et re quidem vera in hanc contradictionem vi sui systematis necesse est, ut labantur. Quum enim tueantur, quosdam fidei articulos esse fundamentales, & errorem illorum damnabilem; inde necessario consequitur, ut rationem Deo revelanti subjiciendam esse, ipsi quoque fateantur. Nam hi etiam articuli quum sint supra rationem, oportet ut quoad eos ratio nostra Deo revelanti subjiciatur. Tale ergo est systema eorum, ut turpi contradictione implicari debeant.

Videamus nunc, quod sane ad rem nostram pertinet, num Protestantes hujusmodi prætextibus se adversus Woolstonum defendant, an potius ipsi Woolstono ansam præbeant tuendæ impietatis. Suam profecto caussam adversus Woolstonum non defendunt: nam sicuti ipsi quoad rem istam ad sensum allegoricum recurrendum esse effutiunt, ne prodigiis inusitatis aliquis sit

fu-

futurus locus, ne naturæ lex pervertatur, ne essentiæ rerum immutentur; ita etiam Woolstonus ad eumdem sensum recurrendum esse dictitabit quoad ea omnia, quæ ad Christi miracula spectant, quia quum supernaturalia sint, atque supra rationem, eis semel admissis secundum litteralem sensum, inusitatis prodigiis locus futurus esset, lex naturæ perverteretur, rerumque essentiæ immutarentur. Deinde nonne semel posito, ad sensum metaphoricum recurrendum esse in iis, quæ sunt supra rationem, Woolstono datur, unde se adversus Protestantes defendat? Quid? Anne quæ Christus miraculose gessit, non sunt supra naturam, rationis nostræ vires non excedunt, consuetum naturæ ordinem non prætergrediuntur? ergo quoad ista ad sensum metaphoricum æquo jure se recurrisse adversus Protestantes concludere poterat. Woolstoni ergo caussa per ea juvatur, quæ Protestantes in sui defensionem obtrudunt.

Tandem si Protestantes, uti revera faciunt, eo confugiant, ut dicant hæc etiam: *Ego sum vinea: Ego sum janua: Petra erat Christus*, metaphorice accipienda esse, proindeque etiam ista alia: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, metaphorice accipi debere; tunc sane Woolstonus caussam se adversus eos obtinuisse magis magisque gloriari poterit. Si enim quia sunt nonnulla, quæ metaphorice accipi debent, hæc quoque alia: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, metaphorice accipi debere ipsi autumant; cur & Woolstonus quoque ob eamdem

dem rationem inferre non poterit, quæ ipse metaphorico sensu explicavit, revera explicari posse? Profecto ovum ovo tam simile non est, quam protestantium, & Woolstoni sunt similes caussæ quoad rem istam. Woolstonus ergo apud Protestantes nullius culpæ reus haberi debebat per hoc, quod affirmaret, se credere in Christum secundum sensum allegoricum.

Quod vero in sui defensionem superaddidit Woolstonus, hoc est, se magis blasphemum non esse, quia sensum litteralem rejiceret, quam adversarii forent, si allegoricum non admitterent: si non juvat caussam ejus, tamen tum ipsius, tum Protestantium eamdem doctrinæ absurditatem, & impietatem esse evincunt. Quandoquidem sicuti Woolstonus blasphemus inde fuit, quia quæ litteraliter accipienda erant, metaphorice accepit; ita etiam quum Protestantes tale systema habeant, ut putare possint litteraliter accipi debere, quæ metaphorice accipienda sunt; & metaphorice quæ litteraliter, vi sui systematis habent, ut æque ac Woolstonus blasphemi esse possint. Nam semel posito, quod, prout ipsi voluerint, interpretandi Sacras Scripturas auctoritatem habeant, sicut non sine evidenti falsitate, & impietate metaphorice accipiunt, quæ litteraliter accipi debent; ita quoque litteraliter accipere possunt, quæ metaphorice accipienda sunt. Quum ergo æque impia, atque omnino absurda consequantur, tam si metaphorice accipiantur, quæ litteraliter accipi debent, quam si

si accipiantur litteraliter, quæ metaphorice accipienda sunt: ideo habita ratione principiorum quæ sequuntur, eadem tum Protestantium, tum Woolstoni est doctrinæ absurditas, atque impietas.

At vero nonne & illud quoque Woolstonus contendere poterat, eodem jure, quo ipse a suis adversariis uti blasphemus traducebatur, quia litteralem sensum rejiciebat, quem illi admittebant, a se quoque suos adversarios uti blasphemos traduci posse, quia rejiciebant sensum metaphoricum, quem ipse propugnabat? Profecto secundum principia Protestantium æque Woolstonus, ac omnes Protestantes, nullum supra se judicium positum habebant, quod suspicere, & venerari deberet: quæ erat Protestantibus Sacras Scripturas interpretandi auctoritas, atque potestas, Woolstono quoque esse debebat: id denique quod requiritur ad assequendum sensum Divinarum Scripturarum, nemo Protestantium sibi vindicare, Woolstono autem denegare poterat: ergo quo jure Woolstonus uti blasphemus ab ipsis Protestantibus traducebatur, ex eo quod sensum litteralem rejiceret, eodem quoque Woolstonus ipsos Protestantes uti blasphemos traducere poterat, quia quem ipse tuebatur, sensum allegoricum illi repudiarent. Uti enim supra dicebamus, & ipso naturali ratione unicuique perspicuum est, semel ac par auctoritas quoad rem eamdem in duobus sit, idem quoad rem illam uterque potest: ergo, si, quamvis

Wool-

Woolſtono quoad interprrtationem Divinarum Scripturarum par eſſet auctoritas, ac Proteſtantibus, tamen Proteſtantes Woolſtonum uti blaſphemum traduxerunt, quia aliter, ac ipſi, ſentiebat quoad interpretationem Divinarum Scripturarum; ita etiam Woolſtonus Proteſtantes uti blaſphemos traducere potuiſſet, quia quoad eamdem interpretationem Divinarum Scripturarum aliter, ac ipſe, ſentirent: blaſphemiæ ergo nota, quam Proteſtantes Woolſtono inuſſerunt, aut injuſta fuit, aut ipſis quoque a Woolſtono inuri poterat, ſemel ac quem ipſe tuebatur, ſenſum allegoricum negarent: negabant autem: ergo blaſphemiæ notam eis inurere Woolſtonus potuit. Quanta itaque ſit abſurditas eorum principiorum, quæ Proteſtantes defendunt, ſemper magis magiſque conſtat: iis enim principiis neque quæ falſa ſunt, refelli, neque quæ vera defendi poſſunt.

Ut autem omnino perſpectum ſit, num Woolſtonus contra omne jus, impudenter, atque temere in ſui defenſionem affirmaret, ſe Tolerantiam univerſalem quoad ea, quæ ſunt Religionis, conſtituere voluiſſe; illud videndum eſt, quænam ſecundum principia Proteſtantium in ſui defenſionem afferre poterat. Et primo quidem quo jure ipſi Proteſtantes conſtituiſſent, quædam tolerari poſſe, quædam non poſſe, quoſdam articulos eſſe fundamentales, alios vero non, nonnullos errores eſſe damnabiles, non item alios, Woolſtonus ab eis quærere potuiſſet. Woolſtono autem de eorum agendi ratio-

tione ita quærenti, quid tandem Protestantes habuissent, quod reponeret, si secundum eos nullius judicium infallibile est, si omnibus æque convenit ex Sacra Scriptura interpretari ea, quæ fidei sunt, si ipsa Sacra Scriptura unicuique per se sola est regula fidei? Reliquum ergo erat, ut negarent, ausos se fuisse uti certa definire quæ non poterant, quoniam neque auctoritatem definiendi habebant, & principia, quæ sequuntur, repugnabant. Quo ergo ore se uti impium, & blasphemum accusarent, tunc Woolstonus reponere potuisset; dum, quo se crimine auctoritatis per summam impudentiam usurpatæ accusabant, eodem, & ipsi quoque quam maxime laborarent?

Deinde quæ fidei sunt, undenam suam originem, & auctoritatem haberent, Woolstonus si quæsiisset, quidnam Protestantes reponere poterant, immo debebant? Profecto ea a Deo revelante suam originem, suamque auctoritatem habere, ipsos fateri oportebat: ergo, tunc sane Woolstonus ita eos urgere poterat: vel nulla omnino sunt, quorum error tolerari possit, semel ac ea in Divina Revelatione habeantur, vel universalis tolerantia quoad omnia hujus generis admitti potest: nam vel nunquam omnino contemni potest Divina auctoritas, vel qua ratione quoad ista, illa, & alia, etiam quoad cetera omnia contemni potest: ergo vel nulla tolerantia quoad aliquos ejusmodi errores induci potest; vel si induci potest quoad aliquos ejusmodi errores, etiam quoad

quoad omnes admitti poteſt; ſed vos quoad aliqua induci poſſe putatis, eamque æquo jure a vobis inductam eſſe cenſetis: ergo eodem jure univerſalis a me induci potuit. Hanc autem Woolſtoni argumentationem evidenti ratione concludere ſemper magis conſtabit, ſi advertatur, uti ſæpius monuimus, quæ erat in Proteſtantibus quoad rem iſtam auctoritas, eamdem quoque ſecundum ipſa Principia Proteſtantium in Woolſtono omnino fuiſſe.

Ex hiſce autem omnibus quod contra Proteſtantes volumus, abunde confectum remanet; hoc eſt, ſecundum principia Proteſtantium omnem Chriſtianam Religionem e medio tolli, viamque latiſſimam ad Deiſmum aperiri. Nam Woolſtonum ſua opinandi licentia Chriſtianam Religionem e medio ſuſtuliſſe, nemo negaverit. Si ergo Woolſtonus, uti jam evicimus, principiis Proteſtantium ſemel poſitis, uti impius damnari non poterat, evidenti argumento id eſſe debet, Deiſmum principiis Proteſtantium non ſolum aliquo modo non opponi, ſed omnino conformem eſſe.

Verum enim vero tam manifeſta res iſta eſt, ut initio Reformationis non defuerint, qui futurum eſſe prædixerint, ut ad ipſam Reformationem indifferentia Religionis conſequeretur. Nec eventus fefellit. Non ſolum enim ob libidinem opinandi, quæ ſecundum principia Reformationis admittitur, multi Reformatorum eo uſque proceſſerunt, ut neminem baptizatorum non tolerandum eſſe ſtatuerint, ſed etiam

etiam tradiderunt, e charitatis officio esse, ut Paganismus, atque Idolatria toleraretur.

Dices. Ea, quam Protestantes admittunt, articulorum fundamentalium distinctione semel posita, sua semper remanent Sacris Scripturis auctoritas; & hæc distinctio poni debet etiam secundum Catholicos: falso ergo dicitur systema Protestantium tale esse, ut per illud Divina Revelatio e medio omnino tollatur. Ant. constat: nam saltem quoad articulos fundamentales semper subsistet auctoritas Sacrarum Scripturarum. Deinde. Ecclesiæ quoque Catholicæ doctrina est, aliquos articulos esse fundamentales, aliquos non fundamentales: ergo.

R. dist. ant., eo sensu, quo Protestantes admittunt, ne., diverso sensu, con. Catholici ergo nonnullos articulos ideo fundamentales vocant, quia ab omnibus explicite credi debent, ita ut nullus salutem æternam consequi possit, nisi explicite crediderit, quæ in eisdem continentur: alios autem vocant non fundamentales, quia non requiritur, ut omnes eorumdem fidem explicitam habeant, sed satis est, ita esse animo comparatos, ut istos quoque explicite credituri sint, si eis proponerentur, atque interim illos fide implicita teneant, quatenus ea omnia se firmissime tenere profiteantur, quæ Ecclesia Catholica docet, atque tradit. Quis ergo non videat hac in re Catolicorum, & Protestantium diversam toto cælo rationem esse? Quapropter Catholici neque in suam com-

mu-

munionem recipiunt, neque credere quod ad fidei esſentiam requiritur, eum ſtatuunt, qui fundamentales articulos credit, non fundamentales autem rejicit; & a ſua communione æque expellunt tam eum, qui fundamentalem articulum negaverit, quam alium, qui aliquem articulum non fundamentalem rejecerit. Firmiſſimum namque dogma eſt Eccleſiæ Catholicæ, fidei ſundamentum everti, tollique id, ſupra quod innititur credentium fides, ſemel ac aliquid rejiciatur, cujuſvis tandem generis illud ſit, quod divinitus revelatum eſse conſtet. Patet ergo Proteſtantes ſuam abſurditatem opinionis exemplo, & auctoritate Catholicorum per ſummam imperitiam tueri velle.

Non minus quoque imperite aut falluntur, aut alios fallere contendunt, dum affirmant, etiam apud Catholicos non deeſse multos, qui indifferentiam Religionis profiteantur. Sibi conflatam invidiam, & abſurditatem ſuorum principiorum hac ratione ſaltem extenuare, & minuere vellent: at irrito prorſus conatu, atque præter omnem rationem. Et primo quidem ubinam tandem apud Catholicos indifferentiſmi publica profeſſio fit? ubinam Indifferentiſmus promovetur, ſicuti apud Proteſtantes contigit? Verum unum alteri magis contrarium eſse non poteſt, quam ſit Indifferentiſmus Catholicæ Religioni. Profecto ea Religio, quæ pro certiſſimo fundamento habet, extra ſe nullam neque vitam, neque ſalutem eſse poſse; quæ pro firmiſſima regula ſuæ fidei tenet, hodie credendum, quod etiam heri

heri creditum fuit: quæ pro certo habet, eamdem, quæ heri, & hodie fuit, etiam feculis præteritis fidem fuiffe, atque fubfequentibus femper futuram efse; quæ non dubitat veritatem in fua communione fine intermiffione efse duraturam; quæ firmiffimam promiffionem habet, ob quam hac de re nullus dubitandi locus ei fuperefse poteft; Religio, inquam, quæ hæc omnia habet, quis non videat, ob fuum ipfum fyftema nullas novitates eam pati poffe, eoque magis Indifferentifmo opponi, quo magis ipfe Indifferentifmus omni fecuritati, certitudini, immutabilitati, atque infallibilitati Religionis, quævis tandem ea fit, prorfus adverfatur? Contra, uti jam fæpe diximus, femel ac admittatur, ficuti a Proteftantibus admittitur, quædam ad fidei effentiam non pertinere, quamvis divinitus revelata ea fint, jam omnino nutat auctoritas Divinæ Revelationis, parumque intereffe inde æquo jure colligitur, num Divina Revelatio admittatur, vel non admittatur.

Simili quoque ratione femel ac ponatur, uti ponunt Proteftantes, jam a multis fæculis idolatriam, & errorem in Ecclefia regnare, nullum in ea infallibile judicium effe, unumquemque habere fpiritum interpretandi Sacram Scripturam, eoque contra quamcumque auctoritatem uti poffe, inde futurum effe nemo non videt, ut quilibet ea fidei dogmata tenere, vel rejicere poffit, quæ fibi vifum fuerit, unufque alterum damnare non poterit, licet aliter hac, vel illa, immo quavis in re ab ipfo fentiat, quia

quia quo ipse jure ista, & non illa, eodem quoque alius illa, & non ista admittenda esse, existimare poterit. Iste autem si non sit purus putusque Indifferentismus, quo putatur omnes qui Religionem Christianam profitentur, quæcumque tandem dogmata teneant, salutem esse consequuturos, quisnam aliud esse possit, sane non video. Manifestum ergo est, quod in hac nostra propositione pluribus jam evicimus, tale esse systema Ptotestantium, ut ex eo uterque Indifferentismus consequatur, tum ille, quo etiam iis in altera vita bene futurum esse promittitur, qui nullam Divinam Revelationem admiserint, tum alter Indifferentismus, quo nullis Christianis salus æterna denegatur, quævis tandem sint dogmata Religionis, quæ admiserint, vel rejecerint: utrumque vero Indifferentismi genus Catholicæ Religioni adversari, quantum quidvis alteri adversari potest.

Corollarium.

Infallibilis auctoritas quoad ea, quæ ad fidem spectant, certum & unicum remedium est, quo Religionum indifferentia destruatur.

Uti enim constat ex iis, quæ usque modo disseruimus, semel ac unusquisque potestatem habeat interpretandi Sacram Scripturam, nullumque supra se judicium infallibile agnoscat, quod suscipere, atque revereri debeat; inde sequitur, ut Divina Revelatio vel omnino contem-

temnatur, vel singuli contendere, & quidem æquo jure, possint, se recte sentire juxta Divinam Revelationem, licet quoad dogmata non solum diversa, sed etiam omnino contraria eorum fidei ratio sit. Hoc autem utrumque malum per infallibilem auctoritatem, cui omnes subjiciantur, certo tolli posse per se constat. Nam, ea semel posita & quæ haberi debeant uti revelata divinitus, & qua ratione accipi ea debeant, certissime constat, atque infallibiliter: ergo, ea admissa, sibi amplius non licere unusquisque videt, ut vel omnem Divinam Revelationem non suscipiat, atque veneretur, quæ hujusmodi infallibili auctoritate sibi proponitur, vel quæ divinitus revelata sunt, eo sensu singula non admittat, quo admittenda esse eadem infallibili auctoritate constituitur: ergo infallibili auctoritate simul posita, tum de ipsa Divina Revelatione, tum de sensu illius certissime constat: infallibilis ergo auctoritas certum remedium est, quo Divina Revelatio nec ab ullo contemnatur, nec eo sensu accipiatur, quo quisque voluerit; ex quibus sane duobus vel universalis, vel peculiaris indifferentia Religionis consequitur.

Est etiam infallibilitas hujuscemodi auctoritatis unicum remedium, quo Religionis indifferentia tollatur. Nam tunc solum dubitare non posſumus, quin erremus, si nostram opinionem sequamur, quando eam contra aliorum infallibile judicium sequimur: ceterum si judicium singulorum æque fallibile fuerit; tunc semper quispiam

quispiam contra sentire poterit absque certitudine quod ipse decipiatur. Nam qua ipsum ratione falli possibile fuit, eadem quoque fieri potuisse, ut unusquisque alius falleretur, reponere semper poterit. Quid? nonne infallibile judicium illud est, cui omnes sese submittere debent, & quo sublato, necesse non est ut omnes idem sentiant? Postremo sola unitas multiplicitati directe opponitur; sed judicii infallibilitas una est: ergo aliorum judiciorum multiplicitatem excludit: ergo nulla diversa judicia patitur: ergo judicii infallibilitate admissa quoad ea, quæ sunt Religionis, una tantum Religio uti vera, & certa inducitur: ergo infallibilis auctoritas unicum medium est, quo Religionum indifferentia tollatur.

Scholion I.

Ipsa quoque ratio evincit, aliquam judicii infallibilitatem quoad ea dari debere, quæ divinitus revelata sunt.

Eam conditionem hominum esse, ut propter varias multiplicesque caussas non una omnium de re eadem opinio, atque sententia sit, nec esse possit, nullus sane negaverit. Id autem quamvis contingat etiam in iis, quæ aliquam evidentiam habent, potissimum tamen usuvenisse ipsa experientia novimus, quando de aliqua lege agitur, quæ obligationem inducat, deque iis interpretandis, quæ in eadem lege continentur. Tunc profecto quot fere ca-

pita sunt, tot etiam variæ diversæque sententiæ circumferuntur; indeque est, ut si quoad ista nullius judicium certum, atque infallibile sit, nec esse possit, in magna semper fluctuatione quisque versetur. Multa quidem nobis divinitus revelata fuisse, argumenta evidentissima suadent; attamen & quænam singillatim saltem quoad omnes suas partes revelata sint, quænam vero non sint, quo sensu singula quæque accipi debeant, quo autem non debeant, eadem ratione manifestum non est. Quo fit, ut si nullum infallibile judicium sit, quo de utroque doctrinæ capite certe, & absque errandi periculo constituatur, & multa esse sequatur de quibus homines dubii sint, num ad Divinam Revelationem pertineant; & quæ divinitus relevata esse constat, quo sensu infallibiliter accipi debeant, quo autem non debeant, perpetuo hæreant. Quum ergo Deus sua maxima beneficentia, atque bonitate erga nos usus divinitus nobis revelaverit, quæ credere, & facere deberemus; nulla profecto ratio patitur, ut putemus, nullum infallibile judicium ab eo costitutum, quo tam errare non possemus circa singula quæque, quæ divinitus revelata sunt, quam circa sensum, & acceptionem eorum, quæ divinitus revelata esse constat. Nam, hoc infallibili judicio sublato, consequeretur omnino ut irritus saltem maxima ex parte is finis evaderet, quem Deus sibi proposuit, quando suam Divinam Revelationem nobis communicavit. Quapropter si Divina sapientia, atque bonitate factum fuit, ut

ut per Divinam Revelationem nobis ea innotescerent, quæ a nobis cognosci oportebat, quæque sine eadem Divina Revelatione cognosci non poterant, quemadmodum jam abunde confecimus: ejusdem quoque Divinæ sapientiæ, atque bonitatis esse debuit, ut infallibile judicium haberemus, quo & de rebus divinitus revelatis, & de intelligentia earum firmissime certissimeque constare posset, ut ex iis, quæ revelata sunt, debitam utilitatem capere possemus.

Deinde si nullum sit infallibile judicium, quo certo cognoscantur singula quæque, quæ divinitus revelata sunt, & quo perspicuus fiat sensus, quo accipi debeant; quoad utrumque ea tantum ratione unusquisque ab errore sibi cavere poterit, ut ipse per se, longo, & diligentiori examine adhibito, videat, atque assequatur singula singillatim, quæ divinitus revelata sint, & quinam singulorum verus, & legitimus sensus esse debeat. Quam pauci autem ii sunt, qui hujusmodi examen instituere possint, vel licet possint, ea, qua par est, diligentia velint? anne qui suis manibus victum quærere debent, qui agris excolendis operam dare, ceteraque omnia curare, quæ ad agriculturam pertinent, qui mercaturæ, militiæ, rei familiari, publicis officiis, sexcentisque aliis muneribus, sine quibus humanæ vitæ societas non subsistit, incumbant oportet, in hæc intendere, atque inquirere possunt? mulieres autem omnes immo vero vix ullæ, an suam huic rei operam na-

vare poterunt? ergo maximam partem hominum, immo fere omnes homines versari necesse erit in perpetua ignoratione tum singillatim singulorum, quæ divinitus revelata sunt, tum veri, & legitimi sensus, quo Sacra Scriptura accipi debet. Ii vero, qui ad tale examen instituendum idonei sunt, illudque instituere propter sui officii rationem possunt; qui sane præ ceteris omnibus quam pauci sint, nemo non videt, qua tandem ætate utrumque assequi poterunt? quid non sustinere laboris prius debebunt? quam multa expendere, invicem conferre, atque ad diligentius examen antea revocare oportebit? Ætate ergo solummodo provectiori didicisse aliquo modo poterunt, quænam singillatim divinitus revelata sint, & sensum eorum, quæ divinitus revelata sunt. Quid quod hi ipsi quoad utrumque semper dubii remanere debebunt? semel ac enim suo proprio judicio fidant, quum istud infallibile non sit, sed omnino incertum, multiplicibusque erroribus obnoxium, consequens inde fit, ut semper dubii esse debeant, num veritatem assequuti fuerint. Ex hisce vero omnibus illud manifeste constat, Divinam Revelationem quoad maximam partem hominum omnino inutilem evasuram, quoad paucos habituram parum utilitatis, quoad omnes vero incertitudinem, & dubitationem, si, adhibito examine, vel nosci deberent, quæ singillatim divinitus revelata sunt, vel eorum, quæ divinitus revelata sunt, sensus investigandus

dus esset. Pugnat ergo cum ipsa natura Divinæ Revelationis, quam a Deo ob utilitatem hominum factam fuisse constat, nullum ejusdem judicium infallibile esse, quod omnes absque errandi periculo sequi possint.

Scholion II.

Protestantes, quod spectat istud de infallibilitate judicium, sibi contradicunt.

Pro certa enim regula habent, solam Sacræ Scripturæ auctoritatem admittendam esse: ipsis ergo sentientibus, nullam certam auctoritatem habere possunt fidei professiones, quas emiserunt, nullam, quæ in suis conciliabulis ipsi constituerunt, nullam demum quæ contra quoscumque alios decrevere; sed & fidei professiones ediderunt, & in suis conciliabulis nonnulla uti necessaria ad fidem constituere, & quædam sanxerunt contra alios, ut ea apud suos auctoritatem haberent, alioquin quoad rem illam non solum inepte, sed etiam per summam insipientiam sese gessissent: ergo in sententia Protestantium sola Divinæ Scripturæ auctoritas uti regula fidei admitti debet, & non sola admitti debet: ergo quoad istud de infallibilitate judicium sibi contradicunt; quia nullius hominis, immo nullorum hominum judicium infallibile, & certum esse volunt, & tamen hanc certitudinem, & infallibilitatem sibi tribuunt, alioquin non esset

eſset, cur aliquid tamquam certum definirent.

Et re quidem vera illud judicium infallibile eſse putatur, quo ab æterna ſalute excludendum eum eſse decernitur, qui hæc, vel illa dogmata non tenuerit, atque profeſsus fuerit; ſed tale eſt judicium, quod Proteſtantes ſæpe tulerunt: ergo illud judicium infallibilitatis, quod omnibus denegant, vel nolentes apud ſe eſse conſtituunt. Major propoſitio conſtat: nam ſi hujuſmodi judicium infallibile non eſse putaretur, neque etiam per illud decerni poſset de æterna damnatione aliquorum, qui aliqua dogmata non admitterent. Prob. mi. I. Aliquos articulos eſse fundamentales, aliquos non fundamentales, illos ad fidei eſsentiam pertinere, non vero iſtos, contendunt Proteſtantes; ergo quoad rem iſtam infallibile judicium, quod tamen apud neminem eſse volunt, Proteſtantes ſibi vindicant. 2. Proteſtantes a ſua communione excludunt Socinianos, atque Arminianos, damnantque uti intollerabiliter errantes in iis, quæ veræ fidei ſunt: ergo ſupra alios tale judicium ſibi vindicant, quo de eorum æterna ſalute ſimpliciter decernant; ſed nemo de aliorum æterna ſalute ſimpliciter decernit, niſi certum de ea judicium ſe ferre poſse arbitretur: ergo Proteſtantes certum, atque infallibile judicium ſibi vindicant. 3. Qui alios a conſortio Eccleſiæ ejicit ex eo quod nonnulla ad fidem ſpectantia ſuſcipere, & profiteri recuſent, certum, & infallibile judicium de iis ſibi tribuit, quæ ad fidem

dem ſpectant ; atqui Proteſtantes anathema dixerunt illis , qui profitebantur doctrinam contrariam fidei profeſſionibus cathechiſticiſque inſtitutionibus , quas ipſi ediderant , atque apud eos in uſu erant : ergo ſemper magis magiſque conſtat , infallibile judicium quoad res fidei Proteſtantes ſibi tribuiſse . Turpiter ergo ſibi contradicunt , dum nullius judicium certum , & infallibile eſse conſtituunt .

Et re quidem vera ut legant Sacram Scripturam , omnibus ſuadent , atque ex lectione ejus futurum eſse promittunt , ut quique per ſe intelligant , quæ ad ſalutem neceſsaria fuerint . Quandoquidem , uti ipſi , quemadmodum ſupra obſervavimus , habent , ut veritas perfecta fiat, nullum examen adhibendum eſt , ſed attentione, & applicatione veritatis ad ipſum ſpiritum fides inducitur infidelibus . Sicut enim ſenſibile lumen inquiunt ipſi , oculos perſtringit ; ita etiam veritas , quæ eſt lumen mundi intelligibilis , ſpiritum afficit ; & idcirco ipſa veritas , quæ ſe habet ad intellectum , ſicuti ad oculos ſenſibile lumen , fidem producit in hominibus . Aperte quidem falſa hæc omnia ſunt , ſicuti jam evicimus , ejuſmodi tamen ut per ea nullus dubitandi locus ſuperſit , Proteſtantes quoad iſtud de infallibilitate principium in manifeſta contradictione eſſe . Nam , ſi horum principiorum ratio habeatur , ſemel ac aliquis Sacram Scripturam admittat , a conſortio aliorum fidelium a nemine rejici poteſt , quamvis ex Sacra Scri-

Scriptura ea non eruat, quæ alius eruenda esse putat; atqui Protestantes a sua communione hujusmodi homines rejiciunt: ergo contra sua principia agunt, contraque ea quoddam infallibile judicium sibi tribuunt.

FINIS.

PRÆLECTIO
DE SECTIS ANTICHRISTIANIS.

QUINQUE ſunt Sectarum Erronearum ſpecies, quas *Antichriſtianas* appellare lubet, non quod nulli ſint e Chriſtianis, qui fœdis iſtis Erroribus contaminare ſe non cohorreſcant, ſed quia hi Errores Chriſtianiſmi ipſius fundamenta convellunt; & iſtæ Sectæ pro maxima parte ex iis coaleſcunt, qui numquam Eccleſiæ Chriſti aggregati, ejus etiam Legem execrantur, aut flocci faciunt. Nunc ordine ſingulas iſtas ſpecies percurramus.

ATHEISMUS.

I. A*Theus*, ex nominis *etymo* dicitur quaſi *ſine Deo*, ſeu Deum non agnoſcens. Quapropter attenta hac latiſſima nominis derivatione, illud tribuebatur olim nonnullis, quibus propria ejus preſſaque ſignificatio haud competebat. Etenim *Athei* apud Gentiles audiebant non ſolum ii, qui Deos patrios,

quos ipsi colebant, eorumve simulacra non venerarentur; sed etiam Judæi, & Christiani, qui idem facere renuebant. Qua de causa *Socrates* perhibetur, tamquam Atheus a suis morti fuisse adjudicatus: & Christi cultores velut *Deos non habentes* ab Ethnicis habitos, & neci traditos.

II. Rem ipsam quod attinet, multiplex est Atheorum genus, vel species. Nam *in primis* quidam sunt tantum *indirecte* tales: quo nomine veniunt illi, qui licet Numen aliquod Supremum utcumque agnoscant, attamen eidem aliquam perfectionem detrahunt, velut *Epicurus* Providentiam; aut imperfectionem affingunt, velut *Stoici* Corpus. Alii *directe* tales; & hi iterum duplicis speciei: quidam mere *negative* tales, qui Deum simpliciter ignorant; seu pure carent Dei notitia: (vincibiliter, an invincibiliter modo non disputo) cujusmodi feruntur, inventi fuisse nonnulli in utroque Orbe barbari, in sylvis ferarum more vitam agentes, e quibus aliqui ne nomen quidem ullum Deo imposuerint; an vero hi, vel alii hujusmodi, nullam plane habuerint notitiam Dei, ne quidem sub aliqua communi ratione, v. g. Supremi Gubernatoris, bonorum Auctoris, criminum Vindicis, haud immerito dubitatur. Certe *Cicero* Lib. 1. Tuscul. qq. libere edixit, *nullum esse Gentem tam barbaram, quæ non fateatur esse aliquem Deum; adeo quidem, ut homines falsum Deum habere maluerint, quam nullum*. Verum de hoc

dubio

dubio agitur in Tractatu *de Deo*. Alii dicuntur *Athei* positive tales, qui seu interius, seu exterius ore, vel opere Deum esse negant. Unde triplex denuo Classis Atheorum emergit.

III. *Prima* illorum, qui semetipsos excœcantes, & rebelles lumini, etiam naturali, interne in animo judicant, vel saltem sibi persuadere conantur, non dari Deum, & hi dicuntur Athei *speculative*, ac *stricte tales*. *Altera* Classis eorum est, qui ut effrænatis suis moribus velum prætendant, saltem ore, vel calamo proterve Deum inficiantur; etsi forte contra intimum conscientiæ sensum, quem extinguere plane non possunt. *Tertia* est illorum, qui, licet tum mente Deum agnoscant, tum ore profiteantur, adeo tamen perdite vivunt, ut si Deum non agnoscerent, vel non formidarent; quem etiam percuperent, revera non existere, ne haberent, quem timerent, suorum criminum Vindicem. Et hi dicuntur Athei *practice*, vel etiam *corde* tales, de quibus Apostolus Tit. 1. ver. 16. *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant*.

Hujus *Tertiæ* Classis Atheos complures ipsos etiam inter Christianos existere satis compertum est. Atheos 2. *Classis*, qui saltem aperte Deum negent, quosdam, sed paucos dari, etiam est extra controversiam: talem, enim fuisse *Diagoram* quemdam, testatur *S. Aug.* L. 3. cont. Lit. Petil. c. 21. *Lactan-*

tius L. 1. Divin. Inst. c. 2. *Sextus Empiricus* aliique; qui ejusdem impietatis reos faciunt *Democritum*, *Epicurum*, *Euphemerum*, *Misfenium*, *Diogenem Fhrygem*, *Theodorum Cyreneum*, *Melium*, idcirco ab Atheniensibus expulsum; & alios, ut dixi, paucos insipientes, & insigniter impios, quorum numerum adaugere non exhorruerunt hoc, & proxime lapsis Sæculis e Christianis *in primis Nicolaus Machiavellus* Florentinus, sub initium Sæculi decimini sexti, id est anno 1528. vel 29. vita functus; qui Dei nomen, ad terrendos tantum, & in officio continendos homines excogitatum fuisse, blasphemavit. *Deinde Vaninus*, ob hanc impietatem per Gallias disseminatam, vivus flammis *Tolosæ* traditus anno 1629. Item *Spinosa*, natione *Batavus*, Religione primum Judæus; tum Protestantium partes amplexus, anno 1677. defunctus; qui nullum alium agnovit Deum, quam Mundum universum, in quo unicam substantiam extensione, & cogitatione præditam ponebat, eamque Deum vocabat. *Denique*, teste *Card. Gotti*, de Verit. Relig. Christ. Tom. 1. tr. 1. c. 1. §. 1. recentius *Sylvester Legni*, & *Julius* ejus filius, cum aliquot sociis, qui Romæ deprehensi, ac de Atheismo convicti, post solemnem tantæ impietatis ejurationem perpetuo carcere ibidem damnati sunt, anno hujus Sæculi 19.

IV. An porro reipsa dentur aliqui Athei primæ Classis supra relatæ, nempe *speculative*,

ve, & *stricte* tales qui animo sobrio, & sincero per judicium internum positivum obstinate negent prorsus dari Deum, dubium est apud Theologos Scholasticos. Id vero magis videtur indubitatum apud omnes, quod sicut multi conscientiam suis sceleribus, & obstinata illi resistendi contumacia, ita obdurant, ut ejus stimulos vix amplius persentiscant, atque idcirco dicuntur ab Apostolo 1. Tim. 4. v. 2. *cauteriatam* habere conscientiam; ita complures, etiam hodiedum, nil nisi carnem, & terrena sapientes, atque cœno vitiorum immersi, ingenitam quodammodo Supremi Numinis notitiam, si non prorsus extinguere valeant, ita saltem obscurent, ac sæcularibus negotiis obruant, ut velut excœcati signatum super se lumen Divini vultus vix aspiciant, aut etiam noctuarum instar proterve refugiant, & redeuntem identidem Dei cognitionem pervicacirer a se abigere, consopire, suffocare nitantur; intellectumque removere a consideratione eorum, quæ Numinis existentiam evidentissime ostendunt: instar impiorum illorum, qui Job. 21. v. 14. *dixerunt Deo: recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus*; ne videlicet cogantur vel inviti agnoscere, quem deberent severum impietatis suæ ultorem reformidare. Neque desunt, qui quædam usque adeo in speciem, etsi nullius plane momenti, argumenta excogitant, ac sibi effingunt; quibus unice, quia ita perverse volunt, adeoque

non tam rationum momentis, quam depravatæ voluntatis imperio, persuadere sibi conantur, Deum non existere. Hic proinde non tam judicantis intellectus Error est, quam maleferiatæ voluntatis. Atque utinam istiusmosdi errore, hoc etiam ævo nostro, imbuti non forent plures Pseudo-Politici, qui licet Christiano, quin & Catholico nomine palam glorientur, attamen omnia secundum *rationem Status*, ut ajunt, vel potius secundum commodum proprium metientes, omnem internam Fidem, ac Religionem excutere moliuntur! Ceterum hi suum istum Errorem in corde latentem, vel nunquam exterius aperte produnt ore vel calamo; ne, quales sunt, aliis appareant, impiissimi, ac sceleratissimi: non raro tamen aliquid subobscure insinuant apud sui haud multum absimiles, vel etiam alios, a quibus minus sibi timent; idque solum, ut ajunt, discursus gratia, neque tam ex sua, ut prætendunt, quam aliorum opinione; eo periculosiores, quo fallaciori larva induti suum virus incautorum animis instillant.

POLYTHEISMUS.

I. Polythei dicuntur, qui plures Deos agnoscunt, & colunt. Hos inter numerantur in primis *Gentiles Idolatræ*. *Gentilium* autem, aut *Gentium* nomine, teste *Calmeto*

meto in *Dictionario Bibliotheco* verbo *Gentilis* apud Hebræos veniebant quicumque alterius erant ab Hebræorum Fidei, Legis, ac Numinis. Unde apud *S. Paulum* Rom. 1. v. 14. &c. *Judæus*, & *Græcus* eodem sensu usurpantur, ac *Judæus*, & *Ethnicus*, sive *Gentilis*; eamdemque phrasin usurpat *S. Lucas*. Act. 6. v. 1. &c. Hinc etiam *S. Paulus* appellatur Apostolus, seu Doctor *Gentium*, sicut *S. Petrus Judæorum*: cujus rationem reddit ille, Gal. 2. v. 7. cum ait, *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro Circumcisionis*. Quapropter fatetur *Calmetus*, verbo Jób. „ *Jobum* hoc „ sensu Gentilem fuisse, quod cum Judæo- „ rum Legem non profiteretur, propterea „ neque Circumcisionis gladium fuerit per- „ pessus; sicut & Melchisedech, aliique ju- „ sti, *inquit*, Pagani vocantur: quo nomi- „ ne, sic accepto, despiciendi, atque exe- „ crandi nihil inducitur. „ Eam ob causam *Polytheis* accenseri dixi Gentiles, non quoscumque, sed *Idololatras*.

Iisdem deinde accensentur plures *Hæretici*, qui *Polytheismum* in ipsum adeo Christianismum invehere moliti sunt, ut seriem Hæresum percurrenti facile perspectum erit.

Interim *Polytheismus* Gentilium *Idololatriam* sibi vel intime imbibitam, vel proxime conjunctam habet; immo absque illa consistere non potest. Etenim, cum Deus verus

unicus sit, eo ipso quod plures Dii colantur, necesse est, alicui saltem creaturæ cultum Divinum tribui, in quo ipsa Idololatriæ sita est improbitas. Quapropter de *Idololatria* quidpiam dicere, haud erit ab hoc loco alienum.

II. *Idololatria* est cultus exhibitus Creaturæ sicut Deo. Unde, *Idololatræ* dicuntur ii, qui Divinitatem, Divinumve cultum creaturæ tribuunt. Duplex horum Classis statuitur: *Altera* eorum, qui creaturam aliquam in seipsa venerantur ut Deum, seclusis simulacris, statuis, aut imaginibus: v.gr. *Solem*, *Ignem* &c. prout Romani, teste *Varrone* apud *S. Aug.* L.4. de Civ. c. 31. plusquam annis 170. absque simulacris falsos Deos coluere, tum quos colebant Græci, etiam sine simulacris, uti testatur *Halicarnasseus*, lib. 2. tum quos adjecit *Numa Pompilius*.

Altera Classis illorum est, qui simulacra sibi conficiebant, iisque Divinos honores exhibebant. Et hi, attenta vocis etymologia, magis proprie dicuntur Idololatræ. Idolum enim, Græce εἴδωλον significat imaginem, seu figuram; soletque in S. Scriptura pravo sensu usurpari, ut notat *Calmet*; nempe pro imagine Numinum Ethnicorum; sive imago illa homines, sive bruta, sive astra, picta, sculpta, cælata, aut alia quacumque ratione expressa exhibeat.

Observat porro *S. Thomas*, 2. 2. q. 94. Divinum cultum hujusmodi simulacris diversimo-

simode fuisse exhibitum. Quidam enim arbitrati in ipsis imaginibus aliquid Divinitatis inesse, adeoque cultum iis deberi Divinum, hunc illis tribuebant; maxime vero iis, quas per nefariam artem construxerant, & quæ virtute dæmonum certos aliquos effectus habebant, v. g. fundendi oracula, aliave edendi signa, quæ a malignis Spiritibus profecta iisdem auctoritatem addebant. Alii vero non exhibebant cultum Divinum ipsis imaginibus, sed aliis creaturis, quas ipsæ repræsentabant, v. g. *Jovi, Mercurio &c.*

III. Primam *Idololatriæ* originem *S. Aug.* L. 1. de Civ. *S. Hier.* in Osee. *Lactantius*, L. 2. Inst., aliique, tum antiqui, tum recentiores de Idolis Scriptores repetunt a posteris *Chami*, impii filii *Noemi*; e quibus omnium primi, qui Ægyptum occupavere, excussa paullatim, vel consepulta primæva unius veri Dei traditione, & inductis variis, falsisque de Divinitate opinionibus, conversi sunt ad sola præsentia, & aspectabilia; resque corporeas Deos esse finxerunt.

Ac *primum* quidem Cœlestia, velut oculis magis exposita, suspicientes, eorum capti admiratione, Soli, Lunæ, & Astris Dei honorem adscripserunt.

Deinde, cogitationibus suis inferius progressi, Æthera, Aerem, & ea, quæ in aere sunt, Deos appellavere vani *homines, in quibus*, ut loquitur Sapiens, *non subest Scientia Dei... sed aut ignem, aut spiritum, aut*

citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, & lunam, Rectores Orbis terrarum Deos putavere. Sap. 13. v. 1. &c.

Inde oculos deorsum dimittentes homines animales, & terreni, quibusdam tum hominibus, seu Regibus, aut Heroibus, seu aliis, natura, vel arte magis insignibus; tum etiam brutis animantibus; quin & insensibilibus elementis, ac corporibus inanimatis Divinos honores addixerunt; adeo, ut invalescente hominum, non ex primæva solum labe contracta, sed propriis vitiis, ac sceleribus inducta, corruptione, vanitate, & insania, integræ nationes tamquam Deos colere cœperint, vel cum *Persis* Cœlum; vel cum *Indis* Solem; vel cum *Phrygibus* Lunam: aliæ velut *Arabes* lapidem; *Scythæ* acinacem; aliæ stupida, vilia, sordida, & infesta animalia, canem, ranam; aut, ceu *Ægyptii*, crocodilum, quin & porrum, ac cepe; quæ iidem adeo superstitiose reverebantur, ut ea nec frangere, nec manducare auderent. Quapropter non immerito jocatur in illos *Juvenalis* hoc Versu: *O Sanctas Gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina!* Satyr. 15. Atque hæc quidem Idololatriæ primæva origo fuit, & propagatio.

IV. Quo autem primo Auctore, quove tempore cæperit simulacrorum cultus, non est adeo certum. Sacræ Paginæ nullam Idolorum mentionem faciunt ante tempora *Labani*

bani Patriarchae *Jacob* Soceri, cujus filia *Rachel* Gen. 31. v. 39. dicitur abstulisse Idola, seu Deos, qui ibidem dicuntur *Dii alieni*. Ceterum *Mercurius Trismegistus*, qui *Mosis* tempore fertur floruisse, originem simulacrorum refert ad priscos proavos suos, uti testis est *S. Aug.* L. 8. de Civ. c. 24. Unde verisimile est, inquit *Gotti*, l. c. §. 2. n. 11. usitata fuisse Idola tempore *Thare* & *Nachor*, e quibus ille fuit Pater *Abrahami* Patriarchæ: sic, ut primi Idolorum effigiatores fuerint *Chaldæi*, præeunte *Nino*, *Beli* filio, Assyriorum Rege, *Thare* contemporaneo; qui fieri curasse traditur imaginem *Belo* Patri suo, subditorum adorationi propositam, adjectis quibusdam ritibus superstitiosis, teste *S. Hieronym.* In Oseam c. 2. Ad hanc, vel haud absimilem Idolorum originem videtur respexisse Sapiens, Sap. 14. v. 15. &c. dum ait: *Acerbo luctu dolens Pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem; & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit; & constituit inter servos suos Sacra, & Sacrificia*. Subjungit mox ibidem Sapiens Idololatriæ progressum his verbis: *Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine hic error tanquam lex custoditus est; & tyrannorum Imperio colebantur figmenta*. Duplicem aliam profert illico *Sapiens* Idololatriæ in simulacris instituendæ, vel promovendæ rationem: alteram, quod homines Regis v. g. absentis, quem colere vo-

volebant, imaginem fecerint, ut illum, qui aberat, tamquam præsentem colerent: alteram, quod artifex volens placere illi, qui ejus opera utebatur, eximia diligentia laborarit, ut similitudinem in melius figuraret; multitudo autem hominum, abducta per speciem operis, eum, quem antea velut hominem honorarat, nunc Deum æstimarit, eique tamquam Deo cultum tribuerit: *Et hæc*, concludit, *fuit vitæ humanæ deceptio; quoniam aut Regibus deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt*.

Ceterum Idolorum usus a *Chaldæis* proxime migravit ad *Ægyptios*, ut colligere est ex Historia *Exodi*; tempore enim *Moysis* Ægyptus erat plena Idolis, præsertim bestiarum; unde ad similitudinem eorum petierunt Hebræi ab *Aarone*, *vitulum* in deserto ex auro sibi fabricari. Exod. 22. Ab *Ægyptiis* porro propagata est hæc superstitio in reliquas Orbis partes, ac speciatim ad *Persas*; hinc ad *Græcos*; ab his ad *Romanos*; item ad *Indos*, & extremos terminos *Sinarum*, teste *Kirchero*: idque indicant etiam hodiernae harum Gentium consuetudines: cum in *India*, *Sinis*, *Japone*, *Tartaria*, quin & in *America* Solis, ac Lunæ, Syderum, Terræ, Animalium omnis generis cultum non secus, ac in Ægypto ab innumerabili tempore, etiam nunc vigere nostri deprehenderint Missionarii.

VI. Tan.

VI. Tandem, crescente cum hominum malitia eorum pariter indigentia, ac miseria, eo sese diffudit exitialis illa pestis, ut totum fere Orbem ante Christi tempora, ac non raro ipsum usque adeo populum Judaicum inficeret, atque falsorum etiam Deorum, ac Idolorum numerus & absurditas in immensum pene augeretur; dum homines fere quicumque pro libitu illos pro Diis sibi statuerent, ac colerent, a quibus vel commodi aliquid reportassent, aut sperarent; vel aliquid nocumenti metuerent. Unde *Tertullianus* Gentiles irridens: *Apud vos*, inquit, Apolog. c.5. *humano arbitratu Divinitas pensitatur: nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo jam Deo propitius esse debebit*.

Inde etiam factum, ut stolidi mortales non modo homines etiam sceleratissimos in Deorum numerum retulerint; bruta animantia etiam fœdissima, ac vilissima Divino cultu demulcere studuerint; sed aurum & argentum, ligna & lapides, *opera manuum hominum*, ut loquitur Prophæta, quæ *oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt* eodem venerationis cultu affecerint. Immo, ut observat *S. Athanasius* Orat. cont. Gent. eo progressi sunt, ut etiam simulacra eorum, quæ nullo modo essent in rerum natura, Deos facerent, humanam formam cum brutis permiscentes, naturasque dissimiles in monstri speciem conjungentes,

ac

ac adorantes; cujusmodi erant Dii illi, qui apud Ægyptios Canis, Serpentis, Asini caput habebant; & apud Lybiæ populos, Ammon, Arietis capite insignis. Ad extremum inde quoque prodiit stupenda illa Deorum apud Gentiles multitudo. Triginta millia fuisse perhibent *Hesiodus*, & *Eusebius*. L. 5. Præp. Evang. Inter quos ait *Tertullianus*, Apolog. cap. 10. *Novi sunt, ac Veteres, Barbari, Græci, Romani, Peregrini, Captivi, Adoptivi, Proprii, Communes, Masculi, Fœminæ, Rustici, Urbani, Nautici, Militares &c.* Immo *S. Aug.* L. 4. de Civ. refert duodecim Deos, quos quidam statuebant pro unica arista servanda, & fovenda.

VII. Credibile tamen videtur, Sapientiores e Gentilibus magis excultis, veluti *Platonem*, *Aristotelem*, *Ciceronem*, *Senecam*, aliosque similes complures, neque tot, neque tam absonos Deos interius agnovisse, quot, & quos subinde ex metu Principum, vel insanientis vulgi, exterius colebant. Immo *Justinus Martyr*, *Clemens Alex.* *Lactantius*, & alii apud *Card. Gotti* L. c. testantur, Gentiles Philosophos & Poetas, etsi plures Deos venerarentur, unum tamen Deum, ac summum agnovisse. Sic, teste *D. Thoma* l. c. Platonici ponebant *unum esse summum Deum, caussam omnium; post quem ponebant esse substantias quasdam spirituales, a summo Deo creatas, quos Deos nominabant, participatione scilicet Divinitatis;*

tis ; nos autem eos Angelos dicimus : post quos ponebant animas cælestium corporum , & sub his Dæmones , quos dicebant esse aerea quædam animalia ; & sub his ponebant animas hominum , quas per virtutis meritum ad Deorum , vel Dæmonum societatem assumi credebant . Et his omnibus cultum Divinitatis exhibebant , ut Aug. narrat . L. 8. de Civ. c. 14.

Nihilominus non populus dumtaxat , sed suprema Reipublicæ , Imperiique Capita pro Diis , & Idolis suis tanta pertinacia , tantoque furore pugnabant , ut eos , qui illos læsissent , vel colere renuissent , extremis suppliciis afficerent . Quæ rabies sub prima nascentis , & adolescentis Christi Ecclesiæ tempora , trium propemodum Sæculorum decursu , & plurimas , & gravissimas adversus Christianos persecutiones excitavit ; donec tandem respirare , atque liberiorem captare auram cœpere Fideles sub *Constantino* Magno , ad Christi Fidem converso ; qui superstitiosum Deorum cultum abrogavit , Idola evertit , *Polytheismum* proscripsit : ex quo factum , quod Gentiles , cum non auderent amplius impia sua Sacra palam in urbibus exercere , confugerent ad pagos , vel domos campestres , ubi liberius ea celebrarent .

VIII. Atque hinc *Baronius* repetit originem illius appellationis , qua *Gentiles* a Christianis *Pagani* nuncupantur . Cujus etiam indicium

dicium esse potest, ut observat *Gotti*, quia nec in Divinis Scripturis, nec apud Auctores Ethnicos ante tempora *Constantini*, & *Constantii* ejus filii, *Pagani* vox in hoc sensu usurpata reperitur; esto, ut idem *Eminentissimus* advertit, jam ante fuerit in more positum, ut Gentiles, aliique Idololatræ suas superstitiones in villis, lucis, saltibus, & antris peragerent; unde *Cicero* celebria Festa, dicta *Paganalia*, Feriasque *Paganicas* commemorat.

Ceterum non desunt, qui *Pagani* nomen Gentibus impositum a Fidelibus esse arbitrantur ex eo, quod illi non militarent sub Christi vexillo. Etenim apud Romanos olim *Pagani* dicebantur illi, qui militiæ Sacramento auctorati non erant; sed vitam ruri, domive libere agebant. Ut ut sit, *Paganorum* nomine hodiedum etiam veniunt *Mahumethani*: cum infidelitas universim dividatur in *Paganismum*, *Judaismum*, *& Hæresin*, ut observat *Suarez* De Virt. Theol. tr. 1. d. 16. s. 4. post *S. Thomam* 2. 2. q. 10. ar. 10.

IX. *Polytheorum* Classe hucusque, quantum satis videbatur, *generatim* proposita, addi possent *speciatim* fœdissima Errorum monstra, quæ in istis Gentilitatis, & Paganismi tenebris orcus evomuit. Verum sufficiat, tres illorum Sectas magis celebres, quæ & quosdam e Christianis Heterodoxis invenere sectatores, paucis ob oculos siste-

re-

re ; nempe *Epicureorum* , *Pythagoræorum* , *&* *Stoicorum* .

X. *Epicurei* dicti sunt ab *Epicuro*, Gentili Philosopho, Athenis circa annum Urbis conditæ 412. nato; circa 485. & ante Æram Christianam 271. vita functo ; cujus præcipui hi fuisse perhibentur Errores.

1. Negabat Deos, si quos reipsa admittebat , fuisse Mundi Auctores : tum quod credibile ipsi non videretur , Deos , qui tamdiu quieti stetissent, subito suum mutasse statum ; tum quod Mundus multis laboraret defectibus , quorum iidem Auctores esse nequiverint . Unde statuebat Atomos æternas , ex quarum fortuito concursu non hic dumtaxat Mundus fortuito coaluerit , sed ante illum infiniti alii ; quorum singuli elapso certo tempore fuerint dissoluti , sicut & hic pariter dissolvetur.

2. Diis pariter negabat Mundi gubernationem , ne his curis eorum turbaretur felicitas . Ex quo perverso principio concludebat , frustra Deos coli, invocari , Sacrificio placari . Immo visus est, Deos reipsa penitus negare cum Atheis, cum dixit , Deorum ideam nobis non a ratione inditam fuisse , sed metum illorum provenire solum ex imaginatione , quæ sæpe minacia phantasmata sibi fingit , ad quæ exhorrescimus ; atque ex his falsis terroribus credit , Deorum cultum unice traxisse originem . Quapropter *Epicurus* a quibusdam Atheis annume-

meratur ; uti jam advertimus .

3. Nihil præter Materiam & Corpora ſtatuebat, ipſamque animam noſtram, ajebat, non eſſe niſi texturam Materiæ ſubtilioris, per totum corpus diffuſæ : ex quo inferebat *primum*, illam haud immortalem eſſe, ſed in morte hominis evaneſcere, inſtar vaporis; neque plus illi ſenſus poſtmodum ineſſe, quam ipſi corpori.

Hinc *deinde* concludebat, fruendum vita præſenti, ſine cura futurorum, & abſque metu pęnarum alterius vitæ, quas confictas omnes ajebat, ad indicandas animi perturbationes, & paſſiones, quibus homines in hac vita cruciantur: unde demum admonebat, abigendos hos terrores, qui unice eo ſerviant, ut hujus vitæ quietem, ac dulcedinem interturbent.

Porro Beatitudinem hujus vitæ, quam unice agnoſcebat, ſitam eſſe dicebat in voluptate; quod quidem complures ex ipſius diſcipulis interpretabantur de voluptatibus corporis, etiam fędis, ac immoderatis, unde belluinum illud eorum carmen : *Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas* ; ex quo factum, quod permulti ſenſerint, ipſum Epicurum in iiſdem voluptatibus beatitatem repoſuiſſe.

Verum alii hanc putant fuiſſe calumniam ipſi a *Stoicis* ipſius famæ invidentibus impactam; ipſumque proinde vindicare nituntur maxime ex eo, quod ipſe temperanter admo-

modum vixerit, ut testatur *Laertius*, & *Cicero*, aliique Recentiores critici ostendere moliuntur.

Ceterum *S. Aug.* Serm. nunc. 150. c. 4. expressis verbis attestatur, *Epicurum* Summum Bonum, ac vitam Beatam constituisse in *Corporis* voluptate; atque idcirco ab ipsis Philosophis appellatum fuisse *Porcum*, volutantem se in cæno vitiorum.

XI. *Pythagorici* nomen suum traxere a *Pythagora*, Gentili item Philosopho, ex *Samo* oriundo; qui vixit circa annum ab Urbe condita 220. mortuus 257. vel 258. octogenarius, vel ut aliis placet nonagenarius. Is, Auctor Sectæ, quæ dicta est *Italica*, eo quod eam inceperit in ea Italiæ parte, quæ *magna Græcia* nuncupatur, primus fertur ex Philosophis Ethnicis animæ immortalitatem agnovisse, aut certe palam docuisse.

Verum, ut illam assereret, in alium errorem incidit: dum *in primis* asseruit, Mundum esse animatum, & intelligentem: atque animam immensæ hujus machinæ esse Æthera, unde omnes animæ tum hominum, tum brutorum extrahantur.

Deinde animas ejusmodi e cælo lapsas hinc inde errare in aere, & occupare sine discrimine primum corpus, quod ipsis occurrit.

Denique docuit *Metempsycosin*, seu animarum transmigrationem de uno corpore in aliud, & quidem iterum absque discrimine; ita ut anima hominis ex ejus egressa corpore mi-

migraret in corpus aliud, sive cujuscumque bruti. Hinc prohibebat esum animalium, credebatque non minus crimen esse occidere leporem, quam hominem; eo quod censeret, utriusque animas easdem esse.

XII. *Stoicorum* Secta Ducem habuit *Zenonem*, ex Insula *Cypro* oriundum, 129. Olympiade vita functum. Nomen vero accepere *Stoici* a porticu, græce *Stoa* nuncupata, ubi suos conventus habebant. Profitebantur virtutem plane austeram; sed pleni erant vanitate; atque errabant inter cetera *primum* in eo, quod crederent omnia evenire ex fatali quadam necessitate, quam definiebant ordinem, ab omni ævo constitutum quibusvis rebus invicem concatenatis; qui ordo nec ab ipsis Deis immutari posset: & hoc *Fatum* vocitabant. *Deinde* omnia scelera docebant esse æqualia; ita ut æquale crimen foret occidere bovem, ac hominem.

XIII. Omitto *Academicos* ab *Academia*, juxta *S. Aug.* L.3. cont. Acad. sic dicta, quod esset a populo secreta, nuncupatos; tum veteres, qui *Platonem* habuere Auctorem, unde dicti *Platonici*; tum novos ab *Archesila Platonis* post *Polemonem* Successore institutos; quibus omnia erant incerta, quosque impugnat *S. Aug.* tribus libris contra ipsos couscriptis, & alibi sæpius: necnon affines *Scepticos*, qui Duce *Pyrrhone*, de omnibus censebant esse dubitandum. Hi videntur fuisse præcursores modernorum Pseudo-Criticorum.

DEI-

DEISMUS.

I. DEistarum nomine non veniunt hic ii Heretici, quos Sæculo 16. exortos *Genebrardus*, & alii eo vocabulo designant: ceteroquin rectius dictos *novos Arianos*; eo quod Filium, & Spir. S. negent, eamdem cum Patre naturam habere. Itaque Nomine illo, magis propria & generaliori significatione accepto, intelliguntur certi homines, quos, Galli præcipue, vocant *Spiritus fortes*, per omnes, etiam Christianorum Sectas, dispersi; qui agnoscunt quidem, esse unum Deum, ejusque Providentia Mundum gubernari; fortasse etiam immortalitatem animæ, pænasque & præmia post hanc vitam haud inficiantur; sed non credunt alia Christianæ Religionis Dogmata, neque alium Deo cultum exhibendum esse putant, [nisi forte in speciem, ne palam detegantur] quam arbitrarium; nulla denique alia, quam Legis naturalis præcepta, esse observanda, arbitrantur.

II. Ad hanc Classem videtur reduci posse 1. *Philosophismus*, seu eorum sive antiquorum, sive quorumdam etiam hodiernorum Philosophorum genus, qui, solam rationem ducem se sequi professi ea demtaxat pro veris, aut agendis, vel omittendis admittunt, quæ lumen dictat naturale, unde & Naturalistæ nuncupantur.

2 *Libertinismus*, seu illorum Secta, qui, re-

repudiata quoque omni Religione revelata, ipsisque Sacris Litteris; admissa tamen Dei existentia, & aliis paucis, quæ sibi a recta ratione dictari arbitrantur, ceteras pariter Fidei veritates respuunt, Deumque colunt, & vivunt pene arbitratu suo.

3. *Indifferentismus Laxior*, quem saltem occulte profitentur illi, qui sibi persuadent, quemlibet in sua Secta posse salvari, modo in unum Deum credat, eumque colat juxta suæ Sectæ Leges; sive dein Judæus fuerit, sive Turca, sive Christianus. Ad quem Indifferentismum laxiorem pedetentim ducit *Indifferentismus* strictior, qui contendit saltem in quavis Christianorum Secta viam patere ad salutem: necnon *Syncretismus*, quo quidam hoc etiam ævo moliuntur, ex Religionibus dissentientibus unam conflare, cedendo Dogma, Ritumve unum vel alterum aliis, & sibi vicissim alia quædam concedi postulando, pacis, ut ajunt, gratia.

III. Alia insuper est *Deistarum* species, qui in Deo nullam providentiam in Mundi gubernatione agnoscunt.

MAHUMETANISMUS.

I. M*Ahumetani* Originem fœdæ suæ Sectæ hausere a *Mahomethe*, vel *Mahum*[illegible], *Muhamede*, aut *Moamedo*, quem ex Patre Ethnico, Matre Judæa, utroque ex infima fæce plebis, circa annum Christi

570.

570. in Arabiæ Urbe *Mecca* prognatum, vel ut alii malunt cum *Natali Alexandro* Hist. Eccl. Sæculo 7. c. 2. 2. 2. origine *Cyrenæum*, ſed cum adhuc puer eſſet, a prædonibus captum, & in Arabiam deportatum, ab initio Idolorum cultorem, *S. Joannes Damaſcenus* Antichriſti præcurſorem appellavit. Is, cum inopia laboraret, diviti primum mercatori ſuam operam addixit, cujus viduam poſtmodum duxit, a qua bonorum amplorum heres eſt inſtitutus. His inflatus initiis homo vafer juxta, ac ambitioſus ad eminentem inter ſuos gradum aſpiravit, ac Prophetam ſe eſſe a Deo miſſum popularibus ſuis, hominibus rudibus, perſuaſit; eum in finem comitiali, quo laborabat identidem, morbo abuſus, ac cum ex illo a ſenſibus alienaretur, mentitus ſe tunc ad inſpicienda ſuperna arcana evocari per Archangelum Gabrielem, quem ſub ſpecie columbæ cicuratæ, atque ad aurem ipſo eo tempore roſtro vellicandam edoctæ, latere fingebat. Ab eodem ſibi per partes allatum fuiſſe fabulabatur Librum, quem Arabice *Alcoran*, id eſt collectionem, ſeu volumen præceptorum, vocavit; ipſe vero, *Sergio* quodam Monacho, Neſtoriani erroris lue infecto, adjutore, & amanuenſi, conſcripſerat innumeris blaſphemiis, fabulis, & inſaniis refertum.

II. *Alcorano* hoc ſuo complexus eſt novam ſuam Sectam ex *Gentiliſmo*, *Judaiſmo*, *Chriſtianiſmo*, variiſque Hæreſibus compilatam,

tam ; ut hac mixtura populos diversis Religionibus obnoxios ad se pelliceret. Nam

1. Unum quidem Deum, & Christum velut Sanctum Prophetam agnovit; sed illum in personis trinum cum *Sabellianis*; hunc Deum esse cum *Arianis*, & *Nestorianis* negavit; & cum *Manichæis*, non Christum, sed ipsius umbram, vel alium hominem ipsi similem, asseruit fuisse affixum cruci, quam execratur.

2. Cum *Judæis* retinet Circumcisionem; sive quod illam requirat velut necessariam instar Baptismi, ut quidam volunt; seu, ut malunt alii eam usurpari solum velit, aut permittat in venerationem Abrahæ, quem laudibus prosequitur. *Item* cum iisdem permittit Polygamiam, ac libellum repudii, præcipit varias ablutiones, abstinentiam a suilla, & vetat insuper usum vini cum *Tatianis* Hæreticis.

3. Cum *Epicureis* summum hominis bonum constituit in voluptatibus corporeis, etiam fœdissimis; quapropter indulget fornicationem, vagam libidinem, aliaque nefanda; atque hominis post hanc vitam felicitatem fore in iisdem voluptatibus constitutam comminiscitur. Prohibet autem suis Sectatoribus homo astutus, ne probationem eorum inquirant, quæ ab ipso tradita sunt; neque de suis Præceptis, aut Dogmatibus ineant disputationem.

III. Hos impiissimos Errores naturæ corruptæ sensualitati tam accomodatos, concilia-

liata sibi per illos, adjunctaque prædonum, aliorumque sceleratorum ingenti copia, spargere cœpit, sub annum 622. apud Arabiæ populos, primum *Agarenos* appellatos ab *Agar*, ancilla Patriarchæ *Jacob*, *Ismaelis* matre; unde & dicti *Ismaelitæ*, ac demum *Saraceni*; qui *Heraclio* Cæsari, id temporis somnolentius imperanti, rebelles, *Mahometem* jam opibus potentem in Ducem sibi elegerunt, atque incredibili celeritate maximas Asiæ partes cum Africa, & aliqua Hispaniæ parte inundarunt. Ille vero, postquam 6. vel 8. annis dominatum exercuisset, & Sectæ suæ pestem diffudisset, omniaque stupris, adulteriis, aliisque sceleribus replevisset, ac idcirco infamem se etiam apud suos gregales reddidisset, ab iisdem veneno hoc ex Orbe ejectus est anno Christi circiter 631.

Eadem hæc pestis postmodum, partim armorum vi, ac successu; partim grassante inter Orientis nationes Schismate, Morumque corruptione; partim demum Græcorum Imperatorum somnolentia, sub auspiciis duorum potentissimorum Imperiorum, *Saracenorum* primo, ac deinde *Turcarum*, maximam Asiæ, magnam Africæ, nec modicam Europæ partem occupavit, maxime cum anno 1453. Turcæ Constantinopolim expugnarunt, Orientisque Imperium sibi adjunxerunt.

IV. Sunt tamen in hac ipsa Secta Schismata plurima, quorum aliqui ad 67. numerant, quæ hic nimis longum, & inutile

foret recensere. Quatuor sunt Sectæ particulares præcipuæ:

1. *Turcarum*, quæ Auctorem habet *Omarum* unum e primariis Mahumetis Discipulis, estque hæc Secta liberior.

2. *Persarum*, quem vocant *Imanianam*, ductam ab *Ali*, ejusdem falsi Prophetæ altero celebriori Discipulo.

3. *Maurorum*, & *Arabum*, quæ Ducem agnoscit quemdam Pseudo-Doctorem nomine *Melich*, omnium maxime superstitiosam.

4. *Tartarorum*, a quodam *Odemano* profecta, quæ censetur simplicior. Omnes tamen dicunt, se convenire in essentialibus *Mahumetismi* Dogmatibus, e quibus duo hæc præcipua esse ajunt: quod *detur unus solum Deus verus, & quod Mahomet sit ipsius Propheta*.

JUDAISMUS.

I. JUdæi, nomen hoc adepti a *Juda*, Patriarchæ *Jacob* filio, ceteroquin etiam dicti *Hebræi* ab *Heber*, Abrahæ proavo, veram utique Religionem olim habuerunt, immo, tamquam populus electus, speciatimque dilectus a Deo, peculiaribus etiam beneficiis affecti fuere. In plures tamen Sectas postmodum divisi sunt, ac præcipue quatuor: *Samaritanorum*, *Sadducæorum*, *Pharisæorum*, & *Essenorum*, quæ Christi tempore maxime vigebant.

II. *Sa-*

II. *Samaritani* populi fuere *Samariæ*, quæ *Palestinæ* Provincia erat, inter *Judæam*, & *Galilæam* sita; in qua Urbs Regia ejusdem nominis, derivati a monte *Somer*, in quo erat ædificata. Habebant Religionem mixtam ex *Judaismo*, ac *Gentilismo*: colebant enim verum Deum Israel, simulque Idola *Assyriorum*, quales erant origine, etsi haberi vellent *Judæi*, cum *Samariam*, Judæorum partem, Judæis mixti incolerent, horumque Religionem ex parte sequerentur.

Ceterum habebantur a Judæis aliis tamquam Schismatici, vel Hæretici; *Schismatici* quidem, quia cum Judæi statis anni temporibus *Jerosolymam* convenirent ad adorandum in templo Salomonis, Samaritani sese ab illis diviserant; dum sub Rege *Jeroboam*, (4.Reg. 17.) Duce *Manasse*, *Jaddi* Summi Sacerdotis fratre, parem dignitatem ambitiose prensante, favente eum Principe Samariæ, cujus filiam duxerat, *Alexandro Magno*, templum Jerosolymitano æmulum ædificarunt in sua ditione, nempe in monte *Garizim*, Urbi *Sichem* adjacente, in quo olim *Jacob* Patriarcha (Gen. 33. v. 20.) *Moses* (Deut. 27. v. 12.) & *Josue* (c. ult. v. 1.) sacrificarant; ad quod Samaritani certis quoque diebus sacrificaturi accedebant. *Hæretici* vero insuper habebantur a Judæis Samaritani, tum quod præter Deum verum alios colerent; tum quod inter alios Errores, quos recenset *Epiphanius*, Resurrectionem mortuorum minime crederent.

III. *Sadducæi* nomen traxerunt vel a *Sadoc* Sacerdote, a quo originem ducebant; vel a *Sedec*, quod Hebraicum vocabulum significat *Justitiam*, quam illi exactissimam profitebantur. Errabant, teste *Josepho*, de Bello Jud. l. 2. cap. 12. & aliis, quod negarent 1. Providentiam, 2. Spirituum existentiam, 3. Resurrectionem corporum, unde *S. Lucas*, Act. 23. v. 8. *Sadducæi dicunt*, inquit, *non esse Resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*, 4. Animarum immortalitatem, adeoque illarum post mortem præmia vel supplicia, 5. Juxta aliquos, omnes Traditiones respuebant: quin & omnes Scripturæ Libros, excepto *Pentateucho*. Contra hos creditur scriptus fuisse Liber Sapientiæ.

IV. *Pharisæi* nomen traxere a voce Hebræa *Paras*, *explicationem* vel *doctionem*; vel *Phares*, *divisionem*, ac *separationem* indicante; quia Legis Doctores esse volebant, sublimioremque ejusdem doctrinam, ac observantiam accuratiorem exterius affectabant, qua se ab aliis Sectis distinguebant; unde Pharisæus ille Evangelicus: Luc. 18. v. 12. *Non su*, inquiebat, *sicut ceteri hominum*.

Cæpere, teste *S. Hironymo* in cap. 8. Isaiæ paullo ante Adventum Messiæ, cujus ævo magnam sibi apud populum famam comparabant crebris jejuniis, prolixis orationibus, largis eleemosynis, exactaque decimarum solutione. Verum exteriora hæc opera ostentationis, ac vanæ apud plebem glo-

riæ

riæ captandæ caussa exercebant, reipsa superbi, avari, hypocritæ, idcirco a Divino Salvatore sæpius reprehensi, ac *sepulcris dealbatis* comparati.

Errabant insuper 1. quod Legem Mosaicam perversis Expositionibus, & confictis humanis Traditionibus corrumperent, eam nunc nimium alleviando, uti cum docebant, concupiscentiam internam non esse peccatum: odio haberi posse inimicum &c. nunc nimium aggravando: Quapropter Christus ipsis exprobrat: *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram*: Et iterum de illis: *Alligant*, inquit, *onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere*. Matthei 5. vers. 6. & c. 23. vers. 4.

2. Præter varias superstitiones, quibus erant addicti, Astrologiam judiciariam præcipue colebant, fatumque inducebant, quod tamen cum hominis libertate conciliare satagebant.

3. Metempsycosin, saltem bonorum, admittebant; ex quo errore ortum duxere illi sermones, quibus alii Christum dicebant esse Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis, ibidem capite 16. v. 14. quia nempe putabant, animam alicujus ex illis in Christo transmigrasse.

Ceterum Existentiam Spirituum, Animarum immortalitatem, earumque post mortem præmia, & supplicia, necnon corporum Resur-

surrectionem contra *Sadducæos* agnoscebant: unde censebatur hæc Secta purior, & nobilior: atque in tantum *S. Paulus* Phil. 3. v. 5. gloriatur, se fuisse, immo Act. 23. v. 6. adhuc esse *Pharisæum*, nempe quoad illa vera Dogmata cum Christi Fide congruentia, quæ *Pharisæi* tuebantur contra *Sadducæos*, a quibus Apostolus distinguere se volebat, etsi ab ipsorum etiam Pharisæorum Erroribus esset remotissimus.

V. *Esseni*, sive, *Essæi*, quorum ignoratur origo, dicti sunt, quasi *Sancti*, & *Pii*, eo quod vitam religiosiorem profiterentur: divitias enim contemnebant, bona tantum in communi possidentes: societatis in se leges inviolatas servabant: a conjugiis, & omnium voluptatum usu abstinebant, uti testatur *Josephus*; alienos tamen filios adoptabant, quos suis legibus imbuebant: unde *Plinius* L. 5. c. 17. scripsit, gentem fuisse a plurimis Sæculis absque conjugio, & sexuum commixtione subsistentem: *Incredibile dictu*, inquit, *gens est, in qua nemo nascitur*.

Ceterum ab Erroribus immunes non erant. Nam 1. ut tradit *Josephus*, fatum adstruebant.

2. De Animarum statu post mortem fere cum Ethnicis sentiebant, probas ad campos Elisios, improbas ad regnum Plutonis migrare credentes.

3. A ceteris Judæis Schismate erant divisi: unde nec in templo sacrificabant; tum

ne,

ne, ut ajebant, aliorum hominum minus proborum consortio contaminarentur; tum quod dicerent, se Cæremoniis sanctioribus uti. Christo tamen favebant præ Pharisæis, & Sadducæis, qui acerrime illum persequebantur.

Omitto Sectas alias Judæorum antiquas minus celebres: veluti 1. *Nazaræorum*, qui rejiciebant Pentateuchum, & Sacrificia; carnisque usu prorsus abstinebant.

2. *Hemerobaptistarum*, ita nuncupatorum, quod quotidie baptizarentur; rati, non posse hominem vivere, nisi singulis diebus in aqua mergeretur, atque sic ablueretur, & sanctificaretur.

3. *Galilæorum*, qui sub Christi tempora exorti dicebant, non licere Judæis, tamquam Populo fideli, Divino cultui addicto, subesse Cæsari gentili, & Idolatræ; eique tributum dare. Unde Christus, & Apostoli, veluti Galilæi, ejus erroris falso insimulati sunt; & Divinus Servator a Pharisæis, tentandi causa, interrogatus: *Liceret ne censum dare Cæsari, an non?* statim asseruit, ut omnem illius erroris suspicionem a se, suisque amoliretur. Matth. 22.

4. *Herodianorum*, qui Herodem Ascalonitam dicuntur pro Messia habuisse, eo quod in ipso, velut alienigena, utpote Idumæo, Judæorum Regem declarato, defecisset *Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus*, quod erat signum Adventus Messiæ juxta Prophetiam

tiam Jacobi Gen: 49. v. 10. Quod pravis imbuti eſſent Dogmatibus, liquet ex eo, quod Chriſtus monuerit, eſſe *cavendum* a fermento *Herodianorum*. Quænam autem iſta Dogmata fuerint, non ſatis conſtat.

VI. Abrogata poſt Chriſti mortem Lege Moſaica, capitalis, & communis Judæorum Error eſt, quod negent, Meſſiam adhuc veniſſe, illumque eſſe *Jeſum Nazarenum, quem crucifixerunt*, ac ipſum Deum eſſe. Sunt tamen inter illos etiamnum particulares quædam Sectæ; ac præſertim *Karaitarum*, qui Scripturæ ſoli adhærent: & *Rabbanitarum*, qui ſimul ſequuntur Traditiones Rabbinorum, comprehenſas in Libro, quem Talmud appellant, id eſt *Diſciplinam*: quia continent Jura, & Cæremonias Judæorum; conſtatque duabus partibus.

Prima, quæ dicitur *Miſchna*, & prodiit circa annum Æræ Chriſtianæ 188. complectitur Conſtitutiones, & Traditiones antiquorum Rabbinorum.

Altera, quæ dicitur *Gemera*, continet Gloſſas, & Expoſitiones ab aliis Rabbinis priori parti, velut textui, adjectas. Utraque vero referta eſt pluribus blaſphemiis, fabulis, & ineptiis; quapropter non ſolum Catholicis a Sacra Poteſtate, ſed etiam ipſis Judæis a Politica Liber ille prohibitus fuit.

Explicit Prælectio.

DISSERTATIO
DE SECTA MAHOMETANA.

Propositio Unica.

Mahometanæ Religionis falsitas ex ipso Alcorano, & recta ratione demonstratur.

Prima *Demonstratio* hæc esto. Falsa illa Religio est, quæ non est a Deo tradita: Solus enim Deus docere potuit homines quid de illo credere, qua ratione illum colere deberent, & ad illum possent pervenire. Atqui Mahometana Religio non est a Deo tradita: Falsa itaque est, & explodenda.

Probatur minor. Quæ a Deo tradita est Religio, legem habet a Deo datam Hominibus. At Lex Mahometana, scilicet Alcoranum non est a Deo data Hominibus: Falsa itaque est Mahometana Religio, quæ lege illa nititur.

Probatur minor. Dei leges maxime sunt inter se connexæ, & mutuum sibi testimonium perhibent. Sic Moyses Christo, Christus Moysi suffragatur: sic veterem legem

in Evangelio impletam, & novæ legis mysteria in Veteri adumbrata demonstramus. Sic omnes Prophetias ad Christum collineare ostendimus. At nulla connexio est Mahometanæ Legis cum Mosaica, & Evangelica, quas Mahometus in Alcorano divinas esse agnoscit, nec Moyses, nec Prophetarum ullus, neque Christus, maximus (ut ait) Prophetarum, Mahometo, & ejus legi testimonium perhibent. Immo Christus dixit: *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem*: ut post *Joannem Zachariæ* Filium, quem & Alcoranum commendat, nullum Prophetam futurum indicaret, qui de altero ad Mundi reformationem mittendo esset vaticinaturus. Impostor itaque Mahometus, vel Muhammedes fuit, non Propheta.

Respondent Mahometani, Christum de *Mahometo* vaticinatum fuisse his verbis: quæ in Alcorano leguntur, *Azoara* 71. *O filii Israel, ego vobis a Deo missus nuntius, quod de Testamento meis inest manibus affirmo, vobisque nuntium affero de nuntio post me venturo, cui nomen Mahometus*. Judæos autem interpolasse Legem & Prophetas, Christianos Evangelium corrupisse: in quibus propterea nihil sit veri, nisi quod in Alcorano legitur.

Sed inanem esse hanc responsionem, ex ipso probatur Alcorano. Ait namque in Capite de Jona: *Si de quibus vobis revelavimus, dubitatis, quærite ab his qui prius quam vos*

Li-

Librum legerunt. Porro qui ante Mahometanos Librum legerunt, Christiani sunt & Judæi qui Legem Moysis, & Evangelium suscepere, ut ipse *Mahometus* exponit. Secundum ipsum itaque de rebus ambiguis Christiani & Judæi sunt interrogandi. Igitur, *Mahometi* ætate, Christianorum Judæorumque Libri corrupti non erant. Numquid enim illorum Propheta *Mahometus* ipsos falsis testibus fidem adhibere jussisset? Item in Capitulo *Elmaida*, quod significat mensam, refertur Deus Mahometo dicens de Judæis: „ Si veniant ad te, judica inter eos juste: Deus enim amat eos qui faciunt justitiam. Et quomodo hi quærunt justitiam a te, cum apud eos sit Testamentum, judicium Dei docens, viamque rectam, & lucem ac sapientiam præstans, suis cordibus & mentibus ad gerendorum notitiam demonstratum, cum quo Prophetæ, timentesque Deum, & Sacerdotes judicant „.

Præterea corruptionem illam Scripturarum communi Christianorum omnium, aut Judæorum conspiratione factam, & soli notam *Mahometo*, impossibile est. Si a privatis facta esset, multi mansissent in orbe illibati codices. Cum itaque in omnibus mundi regionibus, & in omnibus Linguis Lex & Evangelium nullam aliam nisi idiomatis diversitatem præ se ferant, argumento est ea non fuisse a Judæis & Christianis interpolata. Ad hæc, cum quatuor Evangelia nec eodem tempore,

nec eodem loco, nec ab eodem auctore, nec eodem idiomate edita sint, commentum est quod ipsorum Scriptores Historiam & verba Christi interpolaverint.

Præterea, Prophetiarum veritas & integritas & luculenter probatur ex ipsis Codicibus, quos portant servantque Judæi, velut capsarii nostri; in quibus illa prædicta legimus, quæ modo impleta videmus.

Quod novum Testamentum spectat, facile demonstratur, Apostolos non alia de Christo prædicasse & scripsisse, quam quæ Christus ipse de se docuit. Quidquid enim de Christo prædixerunt Prophetæ, illud omne de se Christus ipse docuit. At quidquid Christi Discipuli de Christo docuerunt, illud omne de Christo prodixerunt Prophetæ; ergo quidquid de Christo docuerunt ejus Discipuli, illud omne de se Christus ipse docuit. Major patet; quia Christus vir sapientissimus & summus Propheta, ut *Mahammedus* agnoscit, non docuit contra fidem divinarum de eo Prophetiarum, neque necessariam ullam doctrinam omisit: omne autem illud necessarium est, quod prædixerunt Prophetæ. Minorem collatio doctrinæ Apostolicæ cum Prophetica demonstrat. Neque fides deroganda est Prophetis, quorum prædictiones tanta manifestatione completæ sunt.

Denique de doctrina Christi prudentius & tutius creditur ejus Discipulis, qui ipsum viderunt, & audiverunt, quos ipse elegit, & accu-

accuratissima educatione familiariter instruxit, quibus ipse etiam testimonium coram Patre cælesti perhibuit, quod ipsi a Patre dati sint, & sermonem Patris servaverint: & quod verba quæ ipsi dederat Pater, dederit illis, & illi acceperint & crediderint: quos Patri servandos a malo, & in veritate sanctificandos commendavit: quibus Christus ipse promisit sessuros eos super thronos, & judicaturos duodecim tribus Israel: & quos misit in mundum, sicut ipsum misit Pater in mundum: quibus promissum Paracletum a Patre misit, qui omnem suam doctrinam testimoniis Legis & Psalmorum & Prophetarum clarissime confirmarunt, & miraculis approbarunt: prudentius, inquam, & tutius his creditur de doctrina Christi, quænam ea fuerit, quam *Muhammedi*, qui neque ipse Christum vidit, neque cum eis qui eum viderunt, sermonem habuit; sed multis post Christum natum sæculis impiam suam Legem promulgavit. Sane cum Apostoli & Evangelistæ ea scripserint, quæ Christus eos scribere jussit interno Spiritus Sancti afflatu, eodem habenda sunt loco, ac si illa Christus ipse scripsisset. Quod *Sanctus Augustinus* lib. 1. De Consensu Evangelistarum, cap. ultimo eleganter persequitur his verbis: „ Proinde qui Pro-
„ phetas ante descensionem suam præmisit,
„ ipse & Apostolos post Ascensionem suam
„ misit. Omnibus autem Discipulis suis,
„ per hominem quem assumpsit, tamquam

„ membris sui corporis caput est. Itaque
„ cum illi scripserunt quæ ille ostendit & di-
„ xit, nequaquam dicendum est quod ille
„ non scripserit, quandoquidem membra e-
„ jus id operata sunt, quod dictante Capite
„ cognoverunt. Quidquid enim ille de suis
„ factis & dictis legere nos voluit, hoc scri-
„ bendum illis tamquam suis manibus impe-
„ ravit. Hoc unitatis consortium, & in di-
„ versis officiis concordium membrorum sub
„ uno capite ministerium quisquis intellexe-
„ rit, non aliter accipiet quod narrantibus
„ Discipulis Christi in Evangelio legerit,
„ quam si ipsam manum Domini, quam in
„ proprio corpore gestabat, scribentem con-
„ spexerit „.

Altera demonstratio sic informatur. Vera Religio ad bene beateque vivendum, & ad cordis puritatem, veritatisque contemplationem ordinata est. At Mahometana Religio terrenam, & brutam dumtaxat felicitatem, in expletione libidinis, & gulæ positam, atque in omnium sensuum voluptate, pollicetur. Falsa est itaque *Mahometi* Religio. Sane Christus, quem *Mahometus* ut Dei spiritum & maximum Prophetarum commendat, felicitatem in Dei cognitione constituit. *Hæc est* (inquit) *ut cognoscant te solum verum Deum*. Et *Beatos* pronuntiat *mundos corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et Fideles suos in regno cælorum futuros ait similes Angelis Dei, qui nuptias non norunt; & qui vident

dent faciem Patris. Et *Moyses*, quem etiam laudat, atque commendat *Mahometus*, se felicem non fore duxit, nisi Deum videret, cui ait: *Ostende mihi faciem tuam*. Ipsi vero Deus respondit: *Non videbit me homo & vivet*: spem ipsi faciens, quod post vitam hanc mortalem a sinceris adoratoribus suis videndus esset. *Mahometus* vero *Azoara* 2. pollicetur Paradisum. „ Ubi dulcissimas a-„ quas, pomaque multimoda, fructus va-„ rios, & decentissimas, ac mundissimas „ mulieres, omneque bonum sui in æternum „ possidebunt. *Et Azoara* 8. Cum vasis vi-„ treis & argenteis illi potus, velut Zinziber „ saporifer, ex fonte Zelzebil administrabi-„ tur. Aderunt & Juvenes velut margaritæ „ speciosi, omniumque divitiarum & bono-„ rum copia. Vestes sericas & deauratas il-„ li Juvenes induent. Vinum quoque bene-„ dictum illic, Deo dante, sufficiet. *Et A-„ zoara* 88. Timentes vero illic possidebunt „ hortos palmarum, & vitium, puellasque „ consocias & consimiles... vasaque plena. „ Hoc est donum, optimaque remuneratio „ Dei. *Et Azoara* 54. Timentes autem lo-„ cum hortis & fontibus fœcundum posside-„ bunt, vestibusque sericis & purpura ve-„ stiendi, puellas ducent cum oculis claris & „ immensis, quorum albugines candidissi-„ mæ & pupillæ nigerrimæ „.

Nec est quod aliquis suspicetur *Mahometum* in illis Paradisi descriptionibus parabolice lo-

cutum, ſicut in Evangelio, ſub cibi, & vini, & menſæ typis æterna felicitas adumbratur. Cum enim nihil aliud de ſummo hominis bono tradat uſpiam in ſua Lege *Mahometus*, & fœdas illas voluptates optimam eſſe Dei remunerationem afferat, nec aliam intelligant beatitudinem ejus ſectatores, non eſt ipſi affingendus alius ſenſus ab eo, quem Alcorani verba præſeferunt. Quam autem ſit a ratione alienum, felicitatem hominis in iis operationibus conſtituere, quæ ipſi cum brutis animantibus communes ſunt, quæ ipſius deſiderium non explent, quæ animum non perficiunt: quæ Deo, qui ſolus eſt ſummum rationalis creaturæ bonum, non conjungunt; facile intelligerent Mahometani, ſi rationem conſulerent: & *Platonem*, ac *Ariſtotelem*, ſapientius ac verius *Mahometo* ſuo de hominis felicitate judicaſſe faterentur.

Tertia demoſtratio. Vera Religio miraculis confirmatur; illaque ſunt veræ Prophetiæ ſignacula, cum divinam auctoritatem teſtentur. Cum enim Dei tantum virtute vera miracula fieri poſſint, ut quæ vim omnem naturæ creatæ ſuperent; veram eſſe Religionem illam neceſſe eſt, cujus ad confirmationem patrantur: cum Deus mendacium auctoritate ſua confimare non poſſit, qui ſumma veritas eſt. Hinc *Moyſes*, & Prophetæ reliqui, miracula patrarunt, ut ſibi populorum fidem conciliarent: Chriſtus etiam miſſionem ſuam, ac prædicationem miraculis approbavit...

Maho.

Mahometana autem Religio nullis miraculis confirmata eſt. Nullam ſe miraculorum patrandorum habuiſſe poteſtatem paſſim fatetur *Mahometus*: *Azoara* 30. „ Sed, inquiunt, „ divinis cum virtutibus advenifſet. Nonne „ teſtimonium de prioribus Libris attulimus? „ *Et Azoara* 1. Sed hi quidem inquiunt ſe „ credituros, ſi ſe Deus illis alloquio virtu- „ tibuſque patefaceret. Nonne ſatis res ar- „ duas virtuteſque ſublimes ſæpius ſapien- „ tium teſtimonio peregimus? *Et Azora* 13. Deum ſic ad ſe loquentem inducit „ Tu „ quidem nequaquam ad eos cum Dei mira- „ culis manifeſtis venies, quoniam ea velut „ odioſa atque contraria rejiciunt, & veritati „ ad ſe venienti contradixerunt „. Armis pro miraculis uſus eſt *Mahometus*, prædam & bellum ſuis Sectatoribus præcepit „. Viri „ boni [inquit]Deum timentes, factis, per „ quæ vos ipſi propinqui ſitis, ſtudeatis, ip- „ ſiuſque nomine, uſquequo vos meliores „ & elatiores efficiamini, prædatores & ex- „ pugnatores eſtote. *Azoara XII.* Viri bo- „ ni, quid cum illis incredulis, quaſi duabus „ cohortibus, quorum capita Deus ob erro- „ rem ſuum ſubvertit, communicatis? ... „ Vos neminem eorum vobis negotiatorem, „ ſeu ſocium, vel amicum, niſi prius recta „ Dei via pugnatum ſeu prædatum ive- „ rint, aſſociate. Sin autem eos, ubicum- „ que repertos, ſi ſit poſſibile, capite, & „ interficite „. *Azoara X.* Contra vero

Christiana Religio, *Fide inchoata*, *spe nutrita*, *charitate aucta*, *miraculis confirmata est*, in nomine Jesu Cristi patratis; quibus si non credant Mahometani, majus certe miraculum conversionis omnium gentium ad Fidem Christi negare non poterunt. Ante Christi namque adventum orbis pene universus idolis serviebat, & præsertim Romani, qui ceteris gentibus imperabant: quos inter multi sapientiæ & eloquentiæ laude celeberrimi. Mortuo vero Christo, & in cælos recepto, prædicantibus Apostolis, hominibus quibus neque natalium splendor, nec divitiæ, nec potestas, nec philosophia, aut eloquentia conciliabant auctoritatem, sed ignobilibus, pauperibus, rudibus & imperitis sermone, Christiana Religio Romæ & in orbe toto suscepta est; & simplicitas Piscatorum palmam tulit de facundia Oratorum.

Respondebunt forte Mahometani: Miraculo non minori susceptam & propagatam *Mahometi* Legem, quam maxima pars orbis sectatur. At hujus vanitatem responsionis ostendere non est operosum. Quodnam enimvero miraculum est, armis, cædibus, rapinis, subdi gentes novi Imperii, vel potius Tyrannidis, novæque Religionis jugo? Immo quid mirum si eam suapte sponte Legem amplectantur, quæ nihil non indulget sensibus, & cupiditati, secundum quam longe major pars hominum vivit, quam secundum rationem, Deique Legem: & quæ nullam diffi-

difficultatem habet five in credendis, five in agendis? Hujufmodi autem eft Mahometana Lex. At magnum eft miraculum, quod Religio quæ credenda proponit Myfteria, fapientibus fæculi incognita, & humanæ impervia rationi: quæ fenfibus bellum indicit, & cupiditatibus refrænandis incumbit tota: quæ res præcipit imprimis difficiles & arduas, ad quas nulla eft in natura & indole hominum propenfio, immo repugnantia maxima; fcilicet pœnitentiam & mortificationem carnis, inimicorum amorem, orationem pro calumniantibus, beneficentiam in perfecutores, honorum & mundanæ gloriæ contemptum, &c. orbe toto ftabilita fit, non gladio, fed verbo; non difputationibus Philofophorum, fed prædicatione Pifcatorum & idiotarum: qui tantum abeft ut incredulis mortem intulerint, ut potius perfecutionem & mortem pro veritate Fidei quam annuntiabant, invicta patientia fuftinuerint cum ipfi, tum ab ipfis inftituti Chriftiani. Hujufmodi autem eft, & fic fundata fuit & propagata, Chriftiana Religio. Trium fæculorum fpatio *Chriftiani genus erant morti deftinatum*. Quotidie in circis, in compitis conclamabatur: *Chriftianos ad Leonem*. Nec tamen imminuebatur, fed augebatur magis ipforum numerus. *Exquifitior quæque crudelitas illecebra erat fectæ, plures efficiebantur, quoties* perfecutorum gladio *metebantur. Semen erat fanguis Chriftianorum*, cujus vis novos Chri-

 ftianos

stianos generaret. Denique *Ecclesia persecutionibus crevit*, *Martyriis coronata est*. Maximi itaque miraculi loco habenda est Christianæ Religionis propagatio, non vero Mahometanæ.

Demonstratio quarta. Lex quæ sibi ipsi contradicit, non est divina. Deus enim secum ipse pugnare non potest. Atqui Lex *Mahometi* sibi ipsi in multis contradicit. Non est igitur divina.

Probatur major ex ipso Alcorano, *Azoara* 49: „ Cum timentes Deum verbum op„ portunum, videlicet Librum ubique con„ sonum sibi audiunt, capilli suorum capi„ tum eriguntur, cordaque mollescunt ad „ opis divinæ petitionem dicendo: Veraci„ ter hanc esse viam Dei rectam, docentis „ eam quos vult „.

Probatur minor, oculis subiiciendo contradictiones evidentissimas, quæ in Alcorano occurrunt. Christianos, & Judæos, & omnes cujuscumque sectæ Professores, Deum adorantes & bene viventes, salvos fore scribit *Azoara* 11. „ Sciendum autem generali„ ter, quoniam omnis recte vivens, Judæus, „ seu Christianus, seu Lege sua relicta, in „ aliam tendens, omnis scilicet Deum ado„ rans, bonique gestor, indubitanter divi„ num amorem assequetur „. Et mox sui oblitus, Mahometanos damnandos asserit, si a sua Lege deficiant. *Azoara* 3. „ Tuam „ Legem propter aliam mutans, & in ea ma„ nens,

„ nens, hic & in alio sæculo reus, igne in-
„ deficiente peribis. *Et rursus Azoara* 5.
„ Eorum reconversionem, qui prius creden-
„ tes, increduli facti, suam augmentant ne-
„ quitiam, Deus minime colligit: Nec eo-
„ rum cujusvis sic in errore mortui redem-
„ ptionem, quidquid auri terræ capacitas su-
„ stineret, acciperet. *Azoara* 12. Scien-
„ dum quidem eos incredulos esse, qui Je-
„ sum Mariæ Filium Deum esse dicunt. *Ibi-
„ dem*: Sciendum quidem Viros Legum nul-
„ lius Legis fideive perfectionem assequi,
„ nisi Testamenti, & Evangelii, ac hujus
„ Libri a Deo positi præceptis pareant...
„ Credentes atque Judæi, & Angelos loco
„ Dei adorantes, qui scilicet Legem pro Le-
„ ge variant: Christiani etiam omnes, hi,
„ inquam, si in Deum crediderint, & Judi-
„ cii diem expectantes, bene fecerint, ni-
„ hil timeant „. *Azoara* 20. Sibi gratulatur
quod Deus ab errore se liberaverit: & ibidem
secum pugnans ait: *Dei verax est verbum,
quod incredulos numquam convertendos affir-
mat*. Neminem ad fidem cogendum scribit,
& tamen occidi jubet infideles, *Azoara* 9.
Sic Deum loquentem inducit: „ Tu quidem
„ ab illis discede post castigamen, & dictum
„ mentibus suis intimatum. *Et Azoara* 15.
„ Ab incredulis quidem nihil mali seu con-
„ tumeliarum illis inferens, licet illi per
„ iram & inscientiam de Deo male loquan-
„ tur, recede. *Azoara vero* 18. Incredulos
„ sem-

„ semper, usquequo ad Deum omnes convertantur, expugnate. *Et Azoara* 19. „ Converti nolentes, ubicumque repertos, „ mensibus Haram peractis sumite, & interficite, omnibus viis insidiantes illis. Si „ vestram Legem sequi voluerint, dimittendi sunt quia Deus pius & misericors veniam illis tribuet..... Non credentes in „ Deum, quousque vestri tribularii subjectique fiant, expugnate. *Et Azoara* 98. Illos castiga simul atque doce. Tu namque „ Doctor es, non coactor: *Azoara vero* 76. „ Tu Propheta incredulos expugnatum & „ prædatum proficiscere, & ut te timeant, „ aggredere. III. *Azoara* 57. *ait*: A via „ recta digressis, & in incredulitate mortuis numquam Deus veniam dabit „: oblitus illius quod scripserat *Azoara* præcedente, *Diabolos per Alcoram convertendos*. IV. Resurrectionem Mortuorum passim prædicat & tamen quibusdam numquam reddendas animas scribit, *Azoara* 49. „ Morientibus „ mortis hora, ceteris hora sopitionis, Deus „ animas extrahit, quibusdam item reddens „ eas ad oram scitam, quibusdam numquam „. V. *Azoara* 19. Pro incredulis non orandum asserit. *Azoara vero* 12. Deum arandum, pro Judæis, ut ipsis veniam concedat. VI. *Azoara* 80. Diem Domini quinquanginta, mille annis abesse dicit, quam fortasse cito venturam scripserat, *Azoara* 57.

Demonstratio V. Lex quæ Deo multa indigna

gna tribuit, abſurda, & flagitioſa, divina non eſt. Lex autem Mahometana Deo multa indigna, abſurda, & flagitioſa tribuit. Non eſt itaque divina.

Probatur minor. Deum jurantem inducit Alcoranum *Per Angelos Legationis efficaces, ventoſque ſiccos & imbriferos, dæmoneſque licitorum & illicitorum diſcreturos*. Id autem Deo indigniſſimum ratio demonſtrat. Homines enim per majorem ſui jurant. Deus vero quo nemo major eſt, aut eſſe poteſt, per ſeipſum jurat, ut Vetus, Novumque Teſtamentum, in Alcorano commendata, teſtantur. 2. Deum orare ait pro Mahometo: ex quo ſequitur ſuperiorem alium eſſe Deum, ad quem ſuas orationes dirigat. *Azoara* 43. „ Cumque Deus, & Angeli propter Prophe„ tam exorent, vos quoque Deum precemi„ ni pro ipſo „. Deo motum localem tribuit, *Azoara* 20. Cælum & terram ſex die„ bus creans, & poſtea cælos aſcendens „. Deum iuducit *Mahometo* permittentem adulterium, & vagam cum quibus voluerit mulieribus copulam, etiam conſanguineis, & arbitrarium divortium. Quæ omnia non ſolum ab Evangelica & Moſaica, ſed ab ipſa naturæ Lege abhorrent, *Azoara* 43. „ Poſt „ moram ſui mariti pro velle ſuo cum illa, „ tibi permiſimus illam ducere ſponſam. Li„ cet enim etiam bonis omnibus, poſt di„ ſceſſum ſuum a maritis, quaslibet Deo „ jubente ducere: Non erat igitur Prophetæ

curan-

„ curandum tum Dei mandatum, tum præ-
„ decessorum morem divinitus statutum exe-
„ qui „. Quæ occasione Mariæ uxoris Regis Jacobitarum, quam deperibat, dicta intelliguntur. Ibidem; „ Tibi quidem, o Pro-
„ pheta, mulieres omnes, quibus donando
„ dederis, & omnes tuæ manui per emptio-
„ nem suppositas, & amitæ tuæ, materte-
„ ræque filias: omnes item bonas mulieres,
„ tibi volenti gratis succumbere cupientes;
„ (hocque tibi soli permittitur) licitas con-
„ stituimus .... Has a te semove, illas ad-
„ junge pro velle tuo; Nec prius abjectis, si
„ dilexeris eas, molesteris „. *Azoara 56.* Fingit Deum sibi permisisse jurisjurandi violationem, cum Mariam Jacobitici Regis uxorem deperiret, quam deinceps se non cogniturum juraverat: cum duæ uxores illum cum ipsa deprehendissent. Sic Deum suæ libidini servientem describit: „ Cur tu, Pro-
„ pheta, statuis illicitum a Deo positum li-
„ citum ob tuarum mulierum amorem? Deus
„ quidem pius, veniæque largitor, tibi ju-
„ ra juranda delere præcepit, &c. Stuprum *Zainabæ* uxori *Zaidi* nepotis intulit: deinde eam marito invito duxit; quod ex Dei mandato se fecisse in ipso Alcorano scribere impudentissimum non puduit. Quo illa tumens, rivalibus dicere solita erat: *Vos maritis conjunxerunt parentes; me vero Deus de super septem cælis.*

Demonstratio VI. Lex mendaciis scatens innume-

numeris non est a Deo. Atqui Alcoranum mendaciis scatet innumeris. Igitur non est a Deo.

Probatur minor enumeratione sufficienti. *Azoara* 13. *Mariam Jesu* Matrem a Christianis pro Deo coli mentitur. *Azoara* 15. Abraham idololatram fuisse, & syderum inspectione ad unius Dei cultum conversum scribit. *Azoara* 17. Scribit Deum præcepisse Angelis ut *Adamum* adorarent, & omnes, excepto *Beelzebub*, paruisse fabulatur. *Azoara* 19, Judæis imponit quod dicant, Ozair esse Filium Dei: Christianis vero quod suos Sacerdotes atque Pontifices loco Dei adorent, sicut & *Jesum*. *Azoara* 27. Se ex Mecha Hierosolyma raptum a Deo, & inde in cælum asserit, ut de Mysteriis doceretur: hujusque raptus Deum testem inducit. *Azoara* 35. ait, Dæmones non potuisse componere Alcoran, quia non audiunt. *Azoara* 47. Christianis imponit quod Deo non Filium dumtaxat, sed filias tribuant. In referendis Veteris Novique Testamenti Historiis perpetui pene mendacii convincitur. Negat Christum umquam se dixisse Filium Dei, Virginem *Mariam* Christi Matrem, sororem facit *Moysis* &c. Legantur quæ diximus in Prælect. de Sectis Antichristianis.

Demonstratio VII. Lex in qua nullus ordo promicat, non est divina. Cum enim Deus sit ipsa sapientia, quæcumque sunt a Deo, ordinata sunt. Quod & in operibus naturæ & in

in Lege Moysi data, & in Prophetis, & in Evangelio videre est; in quibus temporis, historiæque ordo mirificus elucet. Lex vero Mahometana incondita farrago est præceptorum & dogmatum ineptissimorum, si nonnulla excipias, quæ a Judaica & Christiana Religione *Mahometus* mutuatus est.

Demonstratio VIII. Deus Legem suam non dat hominibus nisi per Sanctos homines Spiritu suo afflatos. Sic Legem Veterem dedit per *Moysen* virum Sanctissimum & divino lumine illustratum; Evangelium per *Jesum*, quem eximiæ sanctimoniæ virum, & præ ceteris Prophetis illuminatum; immo Dei Spiritum agnoscit & prædicat Alcoran. At *Mahometus* homo fuit flagitiosissimus cædibus, rapinis, perjuriis, libidine solum insignis, ut ex ipso evincitur Alcorano. Nullo insuper donatus fuit divino lumine, quo homines ad Deum duceret; ipsosque ad vitam recte instituendam informaret. De se ipso enim ait *Azaora 56. Ego non sum primus nuntius, nec scio quid mihi, seu vobis gerendum sit. Divina mandata tamen explanabo.*

Demonstratio IX. Plane a ratione alienum est id quod verum & divinum agnoscas, non sequi. Porro Lex Mahometana verum ac divinum agnoscit ac prædicat Evangelium; nec tamen ipsum sequendum proponit, immo ipsi adversatur. Itaque plane a ratione aliena est.

Probatur minor ex *Azoara* 12. „ Christum
„ item

„ item Mariæ Filium, cui commisimus E-
„ vangelium, quod est lumen & confirmatio
„ Testamenti, & castigamen ac recta via ti-
„ mentibus Deum ad vestræ Legis comple-
„ mentum misimus. Omnis igitur Evange-
„ lii servus ipsius præcepta judicando sequa-
„ tur. Sin autem, malus erit. Et *Azoa-*
„ *ra* 67. Deum sic loquentem inducit: Noe
„ jam & Abraham nuntios misimus, & eis-
„ dem filios Prophetas dedimus, per quos
„ Librum misimus... Post illos rursus aliis
„ nuntiis missis, tandem Christo Mariæ Filio
„ misso, cujus sequaces ipsi penitus obedien-
„ tes corda constantia, & humilia, atque
„ fidelia gesserunt, nos Evangelium dedi-
„ mus, non ob aliud, nisi ut per ipsum Dei
„ dilectionem, atque gratiam assequeren-
tur „.

Demonstratio X. Lex illa falsa est, quæ *Jesu* Filio *Mariæ* ea tribuit, quæ soli vero Deo conveniunt, & eum nihilominus Deum esse negat. Sed Alcoranum ea tribui Christo Filio Dei, quæ soli vero Deo conveniunt, & eum tamen Deum esse negat. Falsissimum itaque est.

Probatur minor. Alcoran *Jesum* agnoscit *Christum*, sive *Messiam*, *Verbum Dei*, *Spiritum Dei*, cui animam suam contulerit Deus, qui Prophetis omnibus antecellat, eisque consentiat, qui cum divina virtute & potentia venerit, &c. Atqui hæc & soli Deo conveniunt, & Christum esse verum Deum & Dei Fi-

Filium invicte probant. Alcoranum igitur ea tribuit *Jesu* Filio *Mariæ*, quæ soli Deo vero conveniunt, & quæ ipsum esse Deum demonstrant.

Major ex Alcorani textu perspicua est, *Azoara* 4. Deum sic inducit loquentem: „ Omnium prophetarum alio super alium, „ per me sublimato, & eorum quibusdam „ cum Deo locutis, Christo Mariæ Filio ani- „ mam nostram proprie conferentes, vim at- „ que virtutem præ ceteris præbuimus „. Et *Azoara* 5. sic Angeli *Mariam Jesu* Matrem alloquuntur; „ O Maria, tibi summi nuntii „ gaudium cum Verbo Dei, cujus nomen est „ Christus Jesus Filius Mariæ, qui est facies „ omnium gentium in hoc sæculoque futuro „ senes & infantulos cunabula servantes con- „ veniens, prudens, sapiens, vir optimus, „ ab universitatis Creatore mittitur „. Respondet illa: „ O Deus! Cum virum non „ tetigi, Filium quomodo concipiam „? Inquiunt Angeli: „ Deo nihil occurrit impos- „ sibile omnia prout vult operanti: Cujus „ mandatum omne suum placere perficit: „ Ipseque Filium tuum cum divina virtute „ venientem, Librum legiferum, omnisque „ Magisterii peritiam, & Testamentum, ac „ Evangelium, mandatumque filios Israel „ edocebit. Ille namque formis volatilium „ luteis a se compositis insufflans, volatile „ faciet: cæcos & mutos curabit, morpheaticos atque leprosos emundabit, mortuos,

„ Crea-

„ Creatore cooperante, vivificabit. Quæ
„ cuncta a credentibus in Deum miracula
„ censentur. Vetus Testamentum confirma-
„ bit. Quædam tamen prius prohibita licitis
„ annumerabit, seque cum divina virtute
„ potentiaque venisse patefaciens, inquiet:
„ Timentes Deum, me sequamini... De
„ virtutibus atque justitiis Jesu quodammodo
„ gerentis Adæ similitudinem, ista tibi reve-
„ lare decrevimus. Et si quis ratiocinatio-
„ nem hujus rei, & controversiam post hanc
„ scientiam tibi desuper traditam inire volue-
„ rit, dic filiis vestris, & viris, mulieri-
„ busque similiter advocatis, eorum utique
„ singulis mendacio consentientibus anathe-
„ ma iramque Dei injungamus... Dicite
„ vos, credentes in Deum, præceptisque
„ tibi, & Abrahæ, & Ismaeli, & Isaac,
„ atque Jacob, duodecimque tribubus:
„ similiter & Moysi, & Christo, Prophe-
„ tisque ceteris, quos discernere nimis est,
„ desuper a Deo fide nostra missa, fidem
„ & testimonium adhibemus „.

Et *Azoara XI.* „ Jesus Mariæ filius; Dei
„ nuntius, suusque Spiritus & Verbum Ma-
„ riæ cælitus missum existit „.

Et *Azoora* 29. Sic *Jesum* recens natum
„ loquentem inducit: „ Ego sum Dei ser-
„ viens, qui mihi Librum tribuens, me
„ Prophetam constituit, & loco quocumque
„ meliorantem & utilem posuit, nec me vi-
„ rum difficilem, sed malorum expertem

„ crea-

„ creavit. Et ſuper me eſt divina ſalus in die
„ meæ nativitatis, ac mortis, ex qua vivus
„ iterum accedam. Hoc eſt de Chriſto Ma-
„ riæ filio verbum verax: in quo tamen
„ plurimi diſſentiunt homines „.

Et *Azoara* 53. „ Cum Chriſtus divinis
„ virtutibus adveniens inquit: En adſum vo-
„ bis cum ſapientia veſtras diſſenſiones diſ-
„ cuſſura, meque ſequendo, timete Deum,
„ mei, veſtrique Dominum. Schiſma ma-
„ ximum cohortibus incidit & gentibus. Il-
„ los autem qui non crediderunt, die gravi
„ malum graviſſimum premet „.

Et *Azaora* 71. „ Omnes boni Deo ſerviant
„ ut Chriſtus Jeſu Mariæ filius perſuaſit, in-
„ terrogans viros albis indutos veſtibus: Quis
„ mihi ſubveniet, ex parte Dei me ſequen-
„ do? Reſponderunt illi, Nos.

Probatur minor. Qui enim *Jeſum Mariæ* filium Chriſtum ſive Meſſiam profitetur, fateatur neceſſe eſt omnia quæ Prophetæ de Chriſto prædicant. Prophetæ vero Meſſiam Deum eſſe prædicarunt (Iſaiæ 9.) *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus futuri ſæculi, Princeps pacis*. Et Micheæ 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: Ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio a diebus æternatis*. Duplicem generationem Meſſiæ exponit Propheta, temporalem

lem unam in Bethlehem, æternam alteram; de qua & in Psalmis ait Deus ad ipsum: *In splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te*. De qua & Christus ipse ad Patrem in Evangelio ait: *Clarifica me, Pater, apud temetipsum, claritae quam habui priusquam mundus fieret*. Certe si tunc fuit cum nihil aliud præter Deum erat, Deus erat. Id omnium Prophetarum confirmari potest oraculis: & ex Evangelio, ubi Christus de se in Prophetis, & Psalmis scriptum esse ait, ubi se *Principium*, *&* *Patrem* suum *Deum* vocat, & *Petri* confessionem approbat ipsum vocantis *Christum Filium Dei vivi*. Cum itaque Alcoranum vera esse fateatur quæ in Lege, Prophetis, & Evangelio scripta sunt, necesse est ut fateantur Mahometani, si consequenter ad Legem Pseudo-Prophetæ sui differere velint, Christum esse Dei Filium & verum Deum. Et sane quomodo cum divina virtute & potentia venit in Mundum, si Deus non est? Numquid potest plenitudo divinæ potestatis cum homine puro communicari?

Præterea, si Christus est Spiritus Dei, & ipsi Deus animam suam proprie contulit, ut ait Alcoranum, ipsum esse verum Deum consequens est. Quid enim est anima Dei, quæ Deus ipse est? Sicut ergo terrenus Pater vitam suam animalem transfundit in filium; sic Deus vitam suam divinam transfundit in Christum. Et sicut in Patre vita est omni-

omnipotens, ita ut quem voluerit, vivificet: ita & dedit Filio ut quem voluerit, vivificet: & ideo illa vita Spiritus Dei dicitur, propter vitalem motum. Omnem namque motum a caussa occulta, spiritum appellamus. Non itaque multum abhorrere viderentur illi loquendi modi Alcorani ab illis Christi oraculis: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*: Nisi sibi contradicens Mahometus, ipsa everteret. Filium autem Deum habere negans Mahometus, nil nisi terrenum se cogitare ostendit, cum tribuit Christianis quod Deum habere filios & filias putent; & amicam, vel sociam, ex cujus consortio generenter.

Præterea si *Jesum* Mariæ Filius Dei Verbum est, ut Alcoranum habet, consequens est, ut Deus sit: Verbum enim Dei non est in eo quid adventitium, sed coæternum: non est accidentarium, sed subsistens: & cum Verbo Dei omnia sint creata, non est creatura. Et cum Deus sit totus mens, Verbum ejus intellectuale est. Et cum exprimat perfectissimum & infinitum Dei, quo seipsum comprehendit, conceptum, perfectissimum est, infinitum est, uno verbo Deus est. De quo in Evangelio: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum .... Omnia per ipsum facta sunt .... Et Verbum caro factum est.*

Ait etiam Alcoranum *Azoara 2. Spiritum divinum Christo Filio Mariæ auxilium atque testi-*

testimonium extitisse. Quanam vero ratione, & quod testimonium Christo perhibuit divinus Spiritus? Audiamus *Joannem Zachariæ* filium, quem Alcoranum commendat, cujus hæc verba in Evangelio recensentur. (Joann. 1.) „ Quia vidi Spiritum descen-
„ dentem quasi columbam de cælo, & man-
„ sit super eum. Et ego nesciebam eum.
„ Sed qui misit me baptizare in aqua, ille
„ mihi dixit: Super quem videris Spiritum
„ descendentem, & manentem super eum,
„ hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Et
„ ego vidi & tastimonium perhibui, quia
„ hic est Filius Dei „. Christi itaque divinitas ex ipso probatur Alcorano. Quamobrem secum pugnat Lex *Mahometi*, cum ipsum Deum esse negat.

Quod si Christus audiendus est, ipsique credendum, ut *Mahometus* affirmat, fateri tenentur Mahometani, quod negat Alcoranum, Deo Filium esse, cum Christus docuerit conferendum Baptisma *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & Patrem suum Deum, & Spiritum a se mittendum prædicaverit. Possent autem & argumentis convenientissimis edoceri Mahometani Sanctissimæ Trinitatis Mysterium rationi non repugnare. Quæ argumenta partim ex Dei intelligentis fœcunditate, quam omnis intellectus fœcunditas probat: partim ex fœcunditate, prole, & amore, quæ in creaturis promicant, quibus Mundus quodammodo unitrinus est: quod

a Deo Mundi Auctore, cujus similitudinem refert, derivatum esse oportet: tum ex Trinitate intellectuali, quæ in homine, & Angelo ad imaginem Dei creatis splendescit, scilicet mens, verbum, & amor. Plura subministrat *S. Thomas* in Libris *contra Gentes*. Nec pigebit etiam legere Cardinalem *Cusanum lib. 2. Cribrationis Alcorani*.

Quod spectat Christi mortem & Resurrectionem, fatetur *Mahometus* Christum a nativitate recentem ipsam prænuntiasse his verbis: *Et super me est divina salus in die meæ nativitatis & mortis, ex qua vivus iterum accedam*. (*Azoara* 29.) Quamobrem Christum mortuum & occisum a Judæis cur negent Mahometani, ratio nulla est. Siquidem & Prophetæ occidendum prænuntiarunt, & Christus se moriturum & crucifigendum prædixit. Unde cum Prophetarum & Christi oraculis tamquam veracibus credendum asserat Alcoranum, secum ipsum pugnat, negando Christum Jesum a Judæis crucifixum fuisse. Sane *Gabriel* Archangelus, quem sibi Alcoranum tradidisse *Mahometus* mentitus est, *Danieli* revelavit Christum post hebdomadas sexaginta duas occidendum. Itaque si statuto tempore Christus non est occisus, *Gabrieli*, immo Deo, cujus internuntius erat, mendacium affingitur.

Demonstratio XI. Abraham qui Deo dilectus fuit, ab ipsoque in Religione institutus est, cujus Legem qui neglexerit, dereliqueritve,

ritve, brutus erit (*Ex Alcorano Azoara* 2.) Christum Mediatorem agnovit, & vaticinatus est Dei virtutes, & præcepta edocturum, eisque benedicturum, quod *Mahometus* in Alcorano tradit, loco mox citato, sic orantem inducens Abrahamum: *Creator optime, ut misericors atque piissimus, nostræ prolis filium, Mediatorem Prophetam excita, ceteris gerenda, virtutesque tuas scripto notificantem, eisque benedicentem, cum tu sis Doctor excelsus, omnia sciens & audiens*. Quod geminum est iis quæ Christus habet in Evangelio: *Abraham exultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus est*. Et, *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Hic mediator *Abrahamo* promissus a Deo est, cum in semine ejus benedicendas omnes nationes terræ asseruit: quæ cum homini mero convenire non possint; sequitur Christum purum hominem non esse, sed Hominem-Deum, ut inter Deum & homines medius, vere Mediatoris munus impleret, illosque cum Deo reconciliaret atque conjungeret, qui & mortalitatem haberet transeuntem, ut homo; & beatitudinem permanentem, ut Deus: ut per id quod transit, congrueret morituris; & ad id quod permanet, transferret ex mortuis. Quamobrem ipsum & mori & resurgere oportuit.

Demonstratio XII. Illa est vera Lex Dei, quæ convenit cum Lege ad quam *Abraham* vitam suam exegit. Sibi namque revelatum

ſcripſit *Mahometus*, ut Legem *Abrahæ* ſequeretur, non declinando ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ne incredulus fieret. Atqui Mahumetana Lex non convenit cum Lege ad quam *Abraham* vitam ſuam exegit: non itaque divina eſt.

Probatur minor. Lex quæ a Lege *Moyſis*, & ab Evangelio declinat, non convenit cum Lege *Abrahæ*. Non enim duæ ſunt Leges Teſtamenti veteris, & Evangelii, ſed una divina Lex, quam Chriſtus non ſolvit, ſed complevit, revelando & explicando ſpiritum Legis ſub litera latentem. Neque Vetus, & Novum Teſtamentum a Lege *Abrahami* deviant, ſed in id præcipue collineant, ut explicent præceptum Sancto credentium Patriarchæ datum, ut ambularet coram Deo & eſſet perfectus. Atqui Lex Mahometana a Lege *Moyſis*, & ab Evangelio declinat, ſive Regulas credendorum, ſive morum præcepta ſpectentur, ut per ſe evidens eſt. Itaque non eſt divina. Sane una debet eſſe perfectiſſima via, ſive Lex ad unum perfectiſſimum finem perducens. Itaque Lex Chriſti, quem omnium Prophetarum maximum agnovit *Mahometus*, eſt perfectiſſima, cum Legem *Moyſis*, & *Abrahæ* adimpleturus & conſummaturus advenerit, & homines Legem ſuam ſervantes ad vitam æternam perducturus. Porro ſi Chriſtus venit ut antiquam Legem impleret, & ſi Evangelium *Lumen eſt, & recta via timentibus Deum*, & ſi da-

datum eſt a Deo per ipſum, ut homines *Dei dilectionem & gratiam aſſequerentur*, ut fatetur *Mahometus* locis ſupra ex Alcorano citatis; quid reliquum fuit *Mahometo*, quod hominibus conferret? Nihil aliud certe, niſi fraudes & doli, & quæ veris, id eſt, Legis Evangelicæ Decretis contraria ſunt, ut ratiocinatur *Euthymius in Panoplia*.

Præterea Mahometani a fide & moribus *Abrahami* prorſus alieni ſunt. *Abrahamus* ſcilicet unum Deum in tribus perſonis adoravit. Cum enim apparuiſſent ei tres viri ad convallem *Mambre*, cucurrit in occurſum eorum, & adoravit in terram, & dixit: *Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, non tranſeas ſervum tuum*. Tres vidit, unum adoravit. Hæc autem Chriſtianorum adoratio eſt, quam cum non frequentent, ſed execrentur Mahometani, prorſus a fide *Abrahæ* alieni ſunt. *Abrahamus* in Chriſtum credidit, ipſiuſque immolationem in cruce, præcepta filii ſui immolatione, & in holocauſto arietis pro filio oblato adumbravit. Quo peracto ſacrificio, confirmatæ ſunt ipſi promiſſiones de Chriſto his verbis; *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ*: quod cum de Iſaac intelligi non poſſit, aut alio de homine puro, intelligere de homine Deo neceſſe eſt, id eſt, de Chriſto, per quem *gratia & veritas facta eſt*, & qui *dedit hominibus poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus*, ut ha-

bet Evangelium; cujus sectatores gratiam & dilectionem Dei consecuti sunt, ut Alcoranum ipsum testatur. Cum itaque in Christum non credant Mahometani, nec ejus Evangelium audiant, ab *Abrahami* Religione convincuntur alieni.

Nec est quod sibi ob Circumcisionem, & solutionem Decimarum, de *Abrahami* imitatione blandiantur. Nam octavo die illam non celebrant, ut *Abrahami* posteri, sed anno decimo tertio ætatis. *Abraham Melchisedech* Sacerdoti decimas dedit; qui Christum æternum Sacerdotem significabat, secundum illum Psalmi centesimi noni: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Sic enim Psalmum illum Christus in Evangelio exposuit. Cum itaque Mahometani Christo decimas non solvant, nec ejus agnoscant Sacerdotium & Sacrificium, ab *Abrahamo* alieni sunt.

Objicient forsan Mahometani, Imperii Otthomani incrementa, & continuas victorias, Mahometanæ Religionis veritatem demonstrare.

At hanc objectionem inanem esse, ipsis facile demonstramus. Crevit enim Otthomanum Imperium armorum vi & licentia vitiorum. Vicerunt sæpe Mahometani, aliquando victi sunt. Nullo vicere miraculo, cum numerosiores haberent exercitus. Vicerunt eos non semel Christiani cum exigua militum manu, Deo exercituum pro ipsis pugnan-

gnante. Si felicibus bellorum eventis, & victoriis veritas Religionis demonstraretur, vera fuisset Græcorum & Romanorum, dum Idola colebant, Religio; siquidem tunc rerum potiebantur. Hebræi, qui Deum unum verum colebant, sæpe ab infidelibus fusi sunt, Deo illis ob peccata irato. Si cadimus in bello, si alienæ Religionis Principibus subjicimur, si jugo servitutis opprimimur, id volente Deo, & plerumque nos ob peccata nostra castigante, ut pater filios, evenire persuasum habemus, eumque nihilominus adoramus: *qui mutat tempora & ætates, transfert Regna, atque constituit*. Tandem sicut temporibus *Heraclii* Imperatoris, Christiani a Persis ante victi, victores evaserunt, favente Deo, ut refert *Mahometus* in Alcorano, *Azoara* 40. ita & post *Mahometum* a Seracenis, & a Turcis victi, quandoque ipsos profligarunt. Hæc porro *Mahometi* verba sunt loco citato: *A Gentibus in terra propinqua, pessimaque Christiani superati post novem annos eorumque victores per Deum, cujus sunt prima postremaque Mandata, facti sunt. Unde die illa vindicta Dei condonatoris, atque pii credentibus in ipsum gaudium affert.*

Demonstratio XIII. Lex quæ in hanc impietatem homines adducit, ut Deum auctorem peccati faciant, ut duos Deos introducant, mala est. Atqui Lex *Muhammedis* homines ad hanc impietatem adducit, ut aut Deum

Deum Auctorem peccati faciant, aut plures Deos inducant. Mala igitur est, nec a Deo est Lex *Muhammedis*.

Probatur Minor. Malitiam enim, & inobedientiam Diaboli agnoscit Pseudo-propheta, & nihilominus ait Diabolum a Deo ex igne pestifero esse creatum (*Alcorani c.25.*) Unde sequitur, Diabolum necessitate naturæ, nempe vitio materiæ malum esse. Deinde, de igne isto pestifero quæro, utrum sit a Deo creatus, an fuerit ab æterno? Si illud, Deus constituitur auctor, & efficiens causa mali moralis in Diabolo. Nam causa causæ naturali necessitate effectum producentis, est causa illius effecti. Sin autem dicant Mahometani, ignem illum pestiferum sine origine extitisse ab æterno, sequitur duas esse essentias ingenitas, consequenter duos Deos. Vel si dicant, ignem illum a Deo quidem creatum esse, at pestiferam ejus qualitatem non esse a Deo, quæro a quo sit ea qualitas? cum nulla creatura ante Diaboli creationem peccaverit, neque peccare possit ulla Creatura cui datum non est liberum arbitrium. Deinde, undecumque tandem evenisse delirent illam pestilentiam, non liberant Deum quin creaverit Diabolum initio malum; adeout Diabolus non evaserit malus degenerando a sua origine, sive a primævo aliquo, quem habuerit integritatis statu, in quo conditus sit, sed a Deo ipso conditus sit malus. Et quomodo puniet Deus Diabolum propter pecca-

catum inevitabile. quod admittit vitio materiæ, ex qua eum Deus primitus creavit, nulla ipsius Diaboli præeunte culpa?

Demonstratio XIV. Lex quæ tollit discrimen veræ, & falsæ Religionis, falsa est, cum sicut unus tantum Deum, ita una vera Religio esse possit: & pugnantes Religiones veræ esse non possint, quia veritas sibi ipsi non adversatur. At Lex Mahometana tollit discrimen veræ, & falsæ Religionis. Sic enim habet *Azoara* 2.: Omnis recte vivens, Judæus, seu Christianus, seu Lege sua relicta ad aliam tendens, omnis scilicet Deum adorans, bonique gestor, indubitanter divinum amorem assequitur. Lex itaque Mahometana falsa, & impia est.

Demonstratio XV. Mahometus felicitatem sui Paradisi in fruitione corporearum voluptatum constituit. Asseritque in Dialogo cum Abdia Judæo, beatitudinem minime plenam fore, si aliquod oblectamenti genus deesset: ideo Fideles suos tot illic habituros uxores, quot hic habuerint: cæteras concubinas fore, ancillas absque numero. Quo ex figmento sequitur, mulieres, quibus & Paradisum pollicetur, non fore felices. Ait enim *Azoara* 47. Illas in Paradiso numquam oculos suos nisi ad Maritos erecturas. Si Virorum felicitas in habendo innumeras Uxores posita sit, certe aut mulieres in Paradiso erunt infelices, quod absurdum est; aut plures, immo innumeros habebunt viros: & sic

& ſic rurſus felix eſſe non poterit ullus vir, quippe nullam habens ſibi fidam mulierem, ſed viris pluribus, immo innumerabilibus communem. Vel ſi dicant Muhammedani, mulieres fore ita continentes, ut non appetant plures viros, neque frequentem cum ſuis maritis conſuetudinem; cur non idem conceditur viris? Immo cur non perfectam utriſque concedunt continentiam, ut ſublata jam prolis generatione, ceſſet prorſus in Paradiſo uſus, & appetitus Veneris?

FINIS.

NOTA

Contra Sectas Atheorum & Deistarum lege Dissertationes superius expositas *de Existentia Dei, & de Religione Revelata*. Adversus vero Sectas Paganorum & Judaismi perlegenda erit Dissertatio *de Existentia Mysterii Incarnationis* in Collectaneis ad Tractatum *de Incarnatione*, quæ Tom. III. continentur.